62209/B

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

BRUENING, G.F.H.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30517588

XXI,

GEORGII FLOR. HENR. BRÜNING

PHILOS. ET MED. DOCT. COMIT. PALAT. CAES. SER.
PRINC. REGN. HOHENL. WALD. ET SCHILL. CONSIL.
AUL. ET ARCHIAT. SERmi. ET ILLmi. CAPIT. ESSEND.
MED. ADJ. URB. IMP. ESS. h. t. SE-
NAT. ET PHYS. ALT.

CONSTITUTIO EPIDEMICA ESSENDIENSIS

ANNI MDCCLXIX-LXX.

SISTENS HISTORIAM

FEBRIS SCARLATINO-MILIARIS ANGINOSAE

EIQUE ADHIBITAM MEDELAM

ACCESSIT

OBSERVATIONUM MEDICARUM

HUC PERTINENTIUM

DECAS.

VESALIAE, ET LIPSIAE,
APUD F. J. ROEDER, ET C. W. HOLLE, JUN.

MEDICAL
TY OF LO

Lector Benevole!

C Purpuram hic TIBI ſiſto epidemicam, Lector, Febri Scarlatinae, peſſimaeque Anginae nuptam; funerum feraciſſimam. Non tam ſua natura, (quamquam creditum hoc & aſſertum a multis fuit, qui teterrimum implacibilis Parcae telum Purpuram putantes, eamque horrentes, perverſa nihilominus medendi methodo illam procrearunt & extorſerunt ipſi) quam potius ob ignoratum, neglectum, quin, quis crederet? reformidatum remedium.

PRAEFATIO.

Commune hoc activorum medicamentorum fatum eſt, ut vel ideo, quod efficacia ſunt, quod effectus exſerunt non praeviſos, heroicos, ſaepe prodigioſos, terreant ignarum (& medicum) vulgus.

Non hic contendere mens eſt, vacuam omnis periculi luem hanc fuiſſe; abſit. Contrarium, quae ſequuntur plagulae monſtrant; probant defunctorum alba.

Subdola epidemiae natura, mira morborum implicatio, ejusque extrema velocia, multos profecto Libitinae tradidit. Quorum, (quod affirmare auſim) ſi rationali, legitima, veraque, ex nocumentis ſaltem hauſta medendi ratione tractati fuiſſent, certo certius convaluiſſent duae tertiae.

Diſceptatum, (ut contagioſis hujusmodi temporibus fieri adſolet) ſaepe fuit, de Purpurae natura, aetate, cauſis, patria, &c. abeuntibus in varia opinionibus.

Non

Non inutile igitur nec ingratum fore exiſtimo, ſi, quae ad morbi hujus Hiſtoriam naturamque cognoſcendam pertinent, paucis hic praefationis loco exſequar.

Novum nonnulli morbum Purpuram volunt, ne avis quidem noſtris aut proavis notum; opinionibus *Welſchii* (a), *Septalii* (b), *Raygeri* (c), *Paſchalii* (d), *Fracaſtorii* (e), *Brunneri* (f), *Frid. Hofmanni* (g), aliorumque magnorum nominum virorum fulti. Provocat inter hos memoratus *Brunnerus* ad ſolertiſſimum Britanniae Medicum *Sydenhamum*, teſtatur *Mortonum* aliosque obſervatores; quorum neminem vel nomen

(a) Hiſtoria Medica, novum iſtum puerperarum morbum continens.

(b) De Peſte Lib. III. cap. X.

(c) in E. N. C. I. 3. obſerv. 281.

(d) Inventa nov-antiqua cap. VI. §. 27.

(e) De Morbis contagioſis Lib. II. cap. VI.

(f) Eph. Nat. Cur. III. 7 & 8. obſ. 206.

(g) Diſſert. de Purpurae genuina origine, indole ad curatione, pag. 6 & paſſim in ſuis operibus, & quae L. B. ablego.

hujus morbi noviſſe contendit. Hercle! ſchedulam *Sydenhami* monitoriam de novae febris ingreſſu non legiſſe videtur, ubi eximius hic vir p. m. 651. cautelis ſuis in curando hoc morbi genere notatu neceſſariis addit: „ Quod „ a regimine paulo calidiori petechiae „ ſaepe efflorefcant, quandoque autem „ eruptiones miliares in ſuperficiem „ corporis ſe diſpergant.

Morbum antiquum, veteribus Medicis notum ab iisque deſcriptum volunt cum *Sennerto* (h), *Zacuto Luſitano* (i), *Eyſelio* (k), *Wedelio* (l), *Werlhofio* (m), *Langio* (n), *Seipio* (o), recentiores alii. Medium inter hos tenent *Kanoldus* (p) *Neu-*

(h) De Febre Libr. IV. cap. 13.

(i) De Med. Princ. Libr. II. Hiſt. 3. Quaeſt. 3. & Libr. III. Prax. Med. admir. obſ. XIII.

(k) Diſp. de Febre purpurata in Prooemio.

(l) Diſp. de Purpura Puerperarum, pag. 5.

(m) Tract. de variolis & anthracibus.

(n) Oper. Part. II. cap. XIII. §. 9. & Part. III. Diſp. XLV. §. 62.

(o) Diſſert. de Purpura.

(p) Hiſtor. Morb. Wratislav. an. 1718. menſ. Febr.

Neucranzius (q), *Locherus* (r), *Salzmann* (s), &c. quibus purpuram morbum nov-antiquum appellare placet.

Miſſis jam aliorum ſententiis, quid noſtra de hac re opinio ſit, tribus addam.

Credere libet, notam omnino fuiſſe Purpuram, ejusque diverſas quoque ſpecies, antiquitati medicae, jam ultra viginti & duo ſaecula.

Si enim *Hippocratis* ſcripta paulo curatius penſitemus, cur morbi hujus notitiam huic ſeni diſputemus, profecto non video; Quin potius varias Purpurae ſpecies, albam, rubram, urticatam, aliaque efflorefcentiarum genera, ipſum noviſſe liquido conſtat, τρηχύσματα quippe noſtri *Coi* ἐν τῷ χρωτὶ κεγχρώδεα *(aſpredines in cute miliares)* quorum in Epidemicis (t) meminit, purpuram albam;

(q) Libr. de Purpura cap. II.

(r) Eph. Nat. cur. cent. III. & IV. append.

(s) Diſſ. ſiſtens Hiſtoriam Purpurae miliaris albae Argentoratum infeſtantis, a. 1738.

Ἐξανθήματα autem ἐρυθρά, ϛρογγύλα, σμικρά, (*efflorescentiae rubrae rotundulae parvae*) varis (ἰόνθοις) (u) non abſimilia, permanentia, non ſuppurantia, febri acutae, poſt ſuppreſſam diarrhoeam, octavo die ſupervenientia, qualia in Sileno viderat, (v) purpuram rubram ſatis aperte notant (w). His confer locum illum ex Coacis Praenotionibus, ubi ἐρυθήματα ſiſtit ἐν χερσὶ καὶ ποσὶν (*exanthemata rubra, manus & pedes occupantia*) ut ſymptomata ἐν πυρετοῖσι γινόμενα (*in febribus contingentia*) item ἐξανθήματα illa μικρὰ καὶ ταχὺ πάλιν ἀφανιζόμενα (*efflorescentias paruulas cito rurſus evaneſcentes*) quorum in Epidemicis Libr. I. Sect. II. meminit: Junge hiſtoriam Puerperae illius, quae θηλάζουσα εἶτα ἐκθύ-

μάτα

(t) Libr. II. Sect. III.

(u) ἴονθοι proprie Graecis dicuntur aſpredines cutis, duriuſculae, parvae, faciem praeſertim infeſtantes, improprie vari vocatae. Ex *Aeginetae* interpretatione libr. XXV. ἴονθοι εἰσὶ, ὄγκοι σμικροὶ, καὶ σκληροὶ, περὶ τὸ πρόσωπον.

(v) Epidem. Libr. II. Sect. III.

(w) Ejusdem ſententiae cl. *Delius* quoque eſt, vid. Diſſert. de Purpura rubra & alba cum Diarrhoea ac fluxu haemorrhoidali curata.

ματα ἀνὰ τὸ σῶμα πάντη εἶχεν, nec non Euphranoris filii illuſtre exemplum (x); cui ab hujusmodi exanthematum repentina retrogreſſione febris dein exarſit gravior; & vix dubii quid remanebit, de cognitis *Hippocrati* miliaribus. Memoratis his adde ideam τρηχυσμάτων, conopum ſeu culicum majorum morſui maxime ſimilium, quales in Perintho obſervavit; nec non efflorescentiarum illarum, quas κνιδωσίας vocat, & quae ex *Galeni* interpretatione ſunt: νύξεις τινὲς κνησμώδεις οἷαι καὶ ἀπὸ κνίδης γίνονται; & purpurae urticatae deſcriptionem habebis: praeſertim, ſi τὰ πλατέα ἐξανθήματα οὐ πάνυ τι κνησμωδέα (y) huc referre lubuerit. Pertinent huc, quae *Aëtius* Libr. de Puſtulis memorat. In Principiis (inquit) febrium, non ſimpliciorum, (οὐ τῶν ἁπλουστέρων) ſed a corruptis humoribus; (κακοχυμοτέρων) circa totum corpus oriuntur vibices (μώλωπες) ſimiles conopum morſibus, (ἐμφερεῖς τοῖς ἀπὸ κωνώπων δήγμασι). It. πομφοὶ ὡς ἀπὸ κνίδης,

(x) Epidemic. Libr. I. Aegr. 2.

(y) Epidemic. Libr. VI.

(*Bullae, quales ab urticis naſcuntur.*) Omnia haec, indubitato purpurae urticatae deſcriptiones continent.

Inde, usque ad Chriſti tempora altiſſimum de hoc morbo ſilentium; donec tandem celebris Romanorum Medicus *Corn. Celſus*, ſub *Tiberio* florens, inter varia efflorefcentiarum genera, noſtri quoque affectus Libro quinto mentionem fecit (z). *Papulas* quippe memorat, *quae vel totum ſimul corpus, vel ejusdem ſolum partem exaſperarent; referrentque puſtulas, ex urtica, vel ſudore natas*, Graecis ἐξανθήματα (a) *vocatas; quarum aliae ruberent, aliae*

(z) Cap. XXVIII. Sect. XV.

(a) Vocabulum graecum ἐξάνθημα omne efflorefcentiarum, acutarum, minutularum, genus indicat; praecipue papulares eruptiones: hinc *Plinius* ubique voculam hanc graecam per papulas interpretatur e. g. Libr. XX. cap. 8. & cap. 28. Libr. XXIII. cap. 4. Libr. XXIV. cap. 8. &c. Τρηχύσματα eruptionem denotant cum cute concolorem, parvam, cutem vix excedentem; a vocula τρηχὺς quod *aſperi* quid ſignificat. Ἐρυθήματα vero, puſtulas parvas, rubras, indicant; utpote a voce ἐρυθαίνω rubefacio derivata.

aliae vero naturalem cutis colorem non excederent. Poſt hunc, eodem adhuc primo P. C. N. ſaeculo *Herodotus* (b) morborum exanthematicorum, puſtularumque in febribus, ſaepe ut ſymptomata evenientium, notitiam prodit: Quem ſaeculo ſecundo *Apulejus* (c) cum *Galeno* (d) ſecutus eſt. Quarto deinde ſaeculo, *Vegetius*; (e) Sexto, *Aëtius* efflorefcentiarum jam memoratarum, acutarum, ſymptomaticarum, febribus ſupervenientium meminit: qui tamen omnes obſervationibus *Hippocraticis* nihil addiderunt novi vel accuratioris.

Hoc tractu temporis, Arabibus quoque morbos exanthematicos, acutos, vario-

(b) Confer quae cl. *Werlhoff* in tract. de Variolis & Anthracibus.

(c) Memorat hunc cl. *Junius* inter antiquos illos Medicos quibus Purpura jam nota fuit.

(d) Memorabilis eſt *Galeni* circa eruptiones miliares obſervatio, quam Libr. de atra Bile ſiſtit. Quibus aegrotantibus, inquit, excretio per inferiorem ventrem non ſatis fiebat; his totum corpus puſtulis circum undique ſcatuit.

(e) Vid. *Seipii* Diſſ. de Purpura morbo antiquo.

varioloſos, morbilloſos, purpuratos, ab Aethiopis communicatos legimus.

Digna certe res quae hic recenſeatur. Inter codices illos manuſcriptos, arabicos, perraros, quibus ſingularibus κειμηλίοις Bibliotheca Lugduno Batava, ſola, merito ſuperbit; is, qui in Catalogo ſub Nro. 53. cernitur, (compendium eſt libri l'Mas udii, cui *Prata aurea* nomen) ſequentia habet: „*Hoc anno* „ (f) *comparuerunt primo in terris Arabum* „ *Variolae & Morbilli & Purpura* (on Nawa- „ ſel) *& Kynanthropia; quorum quidem ali-* „ *qua jam inter Iſraëlitas fuerant; non tamen* „ *Arabum terras invaſerunt; niſi tum de-* „ *mum*" Vocabulum, quod hic purpuram ſignificare merito creditur, vi verbi *Naſala* eruptionem corporis acutam purpuraceam indicat. Cenſet & hoc peritiſſimus arabicae linguae vir cl. *Reiske*,

(f) Annus hic fuit, quo Habaſſini regno Homeritico potiti, ut fidem Chriſtianam quam profitebantur propagarent; Maccam invaſerunt ea mente, ut Cabam, magnum illud templum & paganiſmi arabici ſedem everterent: unde miniſterio avium divinarum repulſi dicuntur, vid. Surata l'Corani CV. Idem hic, annus Muhammedis natalis fuit. Ergo A. P. C. N. DLXXII.

Reiske, qui voce *on Nawaſel* eruptionem illam quam Germani Frieſel appellant optime ſignificari putat (g) Hinc non inepte ſuſpicati ſunt cl. *Freindius* (h) *Junkerus* (i) *Goelickius* (k) &c. a remotioribus Orientis gentibus, Africaeque (l) incolis exiiſſe primum ad populos vicinos morbos exanthematicos, qui ſenſim latius divagati, ad nos pervenerint.

Et revera Arabes hi, novis his morbis mulctati, poſt ſexaginta, & quod excurrit annos; eosdem, quales acceperant, vicinis quoque populis communicarunt. Sub Califatu quippe Omari Ebn Abi Alchitâb, poſt proſpere pugnatam prope Jaloulah pugnam, (anno Hegirae XVI.) Perſiae ſubactae cum tributo, morbos quoque ſuos impoſuerunt. Brevi poſt, Syria quoque & armis Sarace-

(g) Obſervationes Medicae ex Arabum monumentis obſ. I. p. 9, 10. Lugd. B. 1746.

(h) Hiſtory of Phyſick vol. I. p. 274. vol. II. p. 189.

(i) Conſpect. Medic. p. 209.

(k) Hiſtor. Medic. univ. Part. I. p. 603.

(l) *Stahlius* hanc ſententiam profert in Diſſert. de Variolis & Morbilis.

racenorum et novis ſine dubio eorundem morbis patuit. Exin Aegyptus ſecuta, quam anno Hegirae XIX, aerae noſtrae 640, acceptis a victoribus morbis exanthematicis primum laceſſitos comperimus (m). Inde per commercia tandem vel bella ad Europam usque tranſierunt. Videtur venenum morborum exanthematicorum, in Zonis calidioribus, exaltatum magis & malignius; in frigidas has & ſeptentrionales regiones transplantatum, ab indole ſua mire deleteria nonnihil remiſiſſe, ſcenamque inter populos hos duros, ſimplici victu utentes, fere mutam luſiſſe. i. e. nec epidemicos nec contagioſos admodum ſui generis produxiſſe morbos, (n) donec tandem male ſano ciborum,

potuum,

(m) Vid. *Freind* hiſt. med. ubi de variolis ſermo p. 305.

(n) Patet hoc ex variis, illius aevi medicorum, ſcriptis. Sic *Foreſtus* anno 1561. foeminam batavam febri anginoſa correptam memorat, cui ſexta morbi die, Eryſipelas phlegmonodes, ſeptima autem, papulae miliares eruperint Lib. V. obſ. XXII. Purpurae rubrae meminit Libr. VI. obſ. XL, nullibi de contagio loquitur. Non

multo

potuum, medicamentorum calidorum, acrium, aromaticorum, exoticorum abuſu, noſtra ipſorum culpa, in eam, quam hodie toties lugemus malignitatem evectum eſt.

Forte non injucundum erit, continuatum Purpurae Epidemicae per Europam iter porro oſtendi; quod, quam vagum fuerit? (quantum hucusque contari licuit) paucis docebimus.

Conſtat ex Riverii annotationibus, Gallos exanthematicum hunc morbum prima vice ſtatim poſt *Montis peſſulani* obſidionem habuiſſe epidemicum, (o) ab anno 1618. ad 1622. usque varie divagantem, (p) poſt viginti integros annos

multo poſt *Johannes Crato*, uti ex conſiliis ipſius patet, purpuram aeque in viro quodam nobili vidit. *Diemerbroekius* a. 1636. Noviomagi purpuram in duabus mulieribus obſervavit; verum nec contagioſam, nec epidemicam novit vid. Tract. de Peſte Hiſt. 27. & 100. neque ipſe *Jacobus Sylvius*.

(o) Meminit hujus Epidemiae *Lazarus Riverius* in Prax. Med. Libr. XVII.

(p) Apparenti circa hoc tempus Cometae, morbos hos malignos, contagioſos imputat *Riv.* l. c. Cap. I.

annos demum *Germaniae* communicandum. Anno enim octavo & trigeſimo lapſi ſaeculi, primum epidemicus *Saxoniam inferiorem* ingreſſus eſt, (q) peragratoque univerſo hoc circulo, tandem poſt decennium *Lubecenſes* gravi clade affecit; (r) quos *Lipſienſes* poſt biennium ſecuti ſunt (s).

Auguſta Vindelicorum anno dein ſexageſimo & ſequentibus luem hanc primo apud ſe graſſantem vidit. (t) *Bavariae* circa ſextum & ſexageſimum moleſta fuit. (u) *Pannoniam* anno ſeptuageſimo ſecundo turbavit. (v) & triennio poſt, *Hamburgum*; (w) hinc *Holſatiam* petiit.

Neque

(q) *Paulus Neucranz* Febres has purpuratas annorum 1638. & 1639. deſcripſit.

(r) Idem Hiſt. Morb. Mil. epidem.

(s) *Chriſtian Langius* Prax. Med. Cap. XIII. de Febr. §. 9. de Purpura. Ex. *Trumphii* opinione, Poloni morbum hunc Saxoniae intulerunt; ex Moſcovia Polonis communicatum.

(t) *Georg. Hieron. Welſchius* in Cur. Propr. Dec. X. Op. Poſth. it. Miſc. Med. Cent. III. n. 75. it. *Luc. Schroek* conſtit. Epidem. Auguſt.

(u) Act. Cur. App. ad Vol. VI. p. 43.

(v) *Rayger* in Eph. Nat. Cur. Dec. I. ann. III. obſ. 281.

(w) *Fabius Columna* de Purpura c. notis Danielis Majoris.

PRAEFATIO.

Neque *Britannia* ab hac clade immunis diu manſit; quin jam ante annum MDCLXXXIV. in *Anglia*, (x) brevi poſt in *Scotia*, (y) ſerius aliquanto in *Hybernia* fuit obſervata.

Circa annum octogeſimum nonum *Philippoburgenſibus* primum innotuit, (z) eodemque tempore toti *Sueviae* (a). *Jenam* anno nonageſimo, (b) *Berolinum* nonageſimo quarto (c), *Stutgardiam* ſexto & nonageſimo elapſi centenarii anno prima vice epidemica laceſſivit (d): Donec tandem vergente ad finem ſaeculo

(x) *Sydenham* ſched. monitor. de novae Febris ingreſſu.

(y) *Robertus Sibbaldus* in Scotia illuſtrata P. I. L. II. S. 2. Edimb. 1684.

(z) *Conr. Brunnerus* ſchol. ad Obſ. 206. ann. 7. & 8. in Eph. Nat. Cur. Dec. III.

(a) *Lentilius* Miſcellan. Med. Pract. Tripart.

(b) *Wolfgang Wedelius* Diſſert. inaug. de Purpura puerperarum.

(c) *Gahrliep* Conſtit. Epidem. Berolin. an. 1694. in Eph. Nat. Cur. in Append. ad Dec. III. ann. 7.

(d) *Roſin Lentilius* in Miſc. Nat. Cur. Dec. III. ann. 5. & 6. in app.

culo *Norimbergam* (e), *Palatinatum*, *Duſſelopolin* (f) noſtraque loca venit vaſtatum.

Primus praeſentis ſaeculi annus *Wratislavienſibus* (g) & *Tubingae* civibus (h) novum hoc contagii genus intulit; hos *Erfurtenſes* proxime ſecuti ſunt (i). Hinc loca aliquot minora *Thuringiae*, dein *Vinaria* ipſa infecta (k). Inde *Saxoniam* rurſus inviſit (l), *Lycaoniam* maxime pererrans. Inde anno 1710 *Goslariam* petiit (m): ſicque lento gradu per pagos & compita ſerpens, ſuperiora *Rheni* loca adiit; comitatum *Ferretanum*, *Montemque Bellicardum* biennio poſt prae aliis vexans (n).

Interim

(e) *Lochner* in Eph. Nat. Cur. in App. ad Cent. III. & IV.

(f) *Conr. Brunnerus* in ſchol. ad obſ. 206. ann. 7. Eph. Nat. Cur. Dec. III.

(g) Conſtit. Epidem. Vratislav. a. 1700.

(h) *Camerarius* in App. Dec. III. ann. 7. Eph. Nat. Cur. Schediasma ad hiſtor. ann. 1699. & 1700.

(i) *Eyſelii* Diſſert. de Febre purpurata.

(l) Circa Suecorum in Saxoniam irruptionem.

(m) Conr. *Trumphius* Obſ. Patholog. Pract. de Purpura in Act. Nat. Cur. App. ad vol. VI.

(n) *Binningerus* in Actis Helvet. Vol. II. p. 76.

Interim *Gedanenſes* anno hujus ſaeculi nono, ferociam hujus morbi miliaris guſtaverunt (o); unde *Marienburgum* delatus, per integrum biennium inter aulae Polonicae delicias ibi commoratus eſt (p).

Circa idem tempus *Auſtriae* quoque communicata Purpura eſt; unde anno circiter decimo tertio *Stiriam*, quarto autem decimo *Carniolam* infeſtavit (q) ubi ad annum 1715 usque dominata eſt.

Hinc *Italos* viſum ivit, agrum imprimis *Taurinum* anno decimo quinto depopulans, regionesque *Pedemontanas*, (r). Sicque varia ſucceſſive loca premens, anno 1726 *Montem Ferratum* petiit, peragrata prius intra hoc decennium omni *Sabaudia* tractuque *Mediolanenſi* (s). *Roma* autem, urbesque *Cremona*, *Ariminum*, *Bono-*

(o) *Erndtl* in Eph. Nat. Cur. Cent. V. obſ. 30.

(p) Ibidem.

(q) *Gerbezius* Conſt. an. 1714. in Eph. Nat. Cur. Cent. V. & VI. in append.

(r) *Fantoni* de Febre Miliari, 110.

(s) *Allioni* Tract. de Miliarium origine, progreſſu &c. p. 28.

Bononia, ager *Neapolitanus* totaque *Sardinia* Purpuram nondum epidemicam viderunt. Neque *Hiſpania* (t).

In *Germaniam* redimus. Hic *Wurtenbergenſes* jam anno decimo octavo (u) *Francofurtenſes ad Moenum* vigeſimo tertio (v) *Helvetios Scaphuſinos* (w) & *Genevenſes* (x) circiter vigeſimo quinto currentis ſaeculi anno, febri miliari vexatos legimus. *Vindobonam* ipſam anno 1729 (y) *Baſileam* anno circiter 1732 (z) *Pragam*, variaque *Bohemiae* loca ab anno 1735 occupavit (a) eodemque anno *Petropolim* (b).

Sen-

(t) Idem loc. cit. §. 56. p. 28.

(u) *Gmelin* Diſp. de Febr. Miliari Tubing. 1752.

(v) *Hoffmann*. Med. Rat. Syſtem. Part. I. p. 222.

(w) Refert hoc ill. *Conr. Amman*, medicus ſcaphuſinus cl. *Allionio*, videſis jam citatum ejus Tractatum de Miliarium origine &c. §. 17. p. 14. & 15.

(x) Idem loco jam citato.

(y) Act. Nat. Cur. Vol. III. in Append. referente *Carl Fried. Lœw*.

(z) M. *Brodhaag* Diſſ. de Purpura alba.

(a) *Jacobus Smith* Diſſ. inaug. de Febre miliari.

(b) *Weitbrecht* conſtit. febr. petechizans, §. V.

Senſim ſic diffuſa Purpura, ſucceſſu temporis malignior, multa hominum millia neci dedit.

En L. B. ſacri hujus contagii, quantum novimus, incunabula, incrementum, ejusque per centenarium & ultra, peregrinationes.

Communicata ſic *Europae* Purpura, modo contemta, modo reformidata nimis, mox ſingulari artificio fota, & ſaluberrimis naturae conatibus accenſita; viguit, floruit, aucta eſt, in infinitum fere multiplicata: Donec tandem laudabili praeclarorum in arte virorum & indefeſſo ſtudio, errorum humanorum haec ſoboles, oppugnata, expugnata, & vix non priſtinae caligini, unde eruperat, reddita fuit.

Saeculum fere, quod vivimus, inter biliofas ſubinde Medicorum rixas conſumtum eſt: num morbus ſit Purpura? num morbi Symptoma? num ejus criſis? num expellenda, promovenda, praepedienda aut removenda ſit?

 Sunt,

PRAEFATIO.

Sunt, qui idiopathicam Purpuram affirmant; ſunt qui negant. Criticam nonnulli hanc efflorescentiam in febribus pronuntiant; alii contrarium, & mere Symptomaticam eſſe volunt. Sunt denique, qui pure artificialem, perverſa medicandi methodo nutritam & primitive genitam clamitent: Quum alii contra, procreationem Purpurae in morbis, impoſſibilem ſtatuant.

Quilibet horum ad rationem ſanam, ad morborum analogiam, ad experientiam propriam, ad aliorum obſervata provocat: Quid ergo mirum, ſi hic purpuram omni modo elicere, provocatam fovere & promovere nitatur; ille, omni opera id agat, ut exanthema hoc praeveniat, praeſens moderetur, & ſi licuerit, reprimat.

Arduum certe ſciſcitanti mihi fuit, inter tot illuſtrium quoque virorum diſcordias certi quid definire; donec tandem multiplici, & ſubinde ſatis triſti

expe-

experientia, quoad Purpuram noſtri coeli (c), ſequentia didici:

Idiopathicam dari omnino Purpuram dari mere Symptomaticam, dari Criticam, dari quoque revera Artificialem, non comparituram, niſi perverſa medendi ratione fuerit extorta.

Inter has frequentiſſimam eſſe Artificialem, frequentem Symptomaticam, raram Idiopathicam, rariſſimam Criticam.

Idiopathicam apud nos ut plurimum benignam & periculi expertem, periculoſam Artificialem periculoſiorem Symptomaticam, bonam & medicatricem Criticam.

(c) Varius hic morbus pro diverſo climate, diverſo ſolo, diverſa aëris temperie, diverſo vitae genere, hominumque natura, ubique, tam quoad ejus frequentiam & indolem epidemicam, quam quoad ejus malignitatem &c. obſervatur. Idem in hoc morbi genere obtinet, quod in exanthematicis omnibus, aliisque morbis epidemice graſſari ſolitis: ut quilibet fere locus, quaelibet Epidemia, ſingularia oſtendat, ejusdem licet morbi ſymptomata; ipſaque lues, pro varia individui, quod occupat, natura, maxime variet.

Facilem curatu Idiopathicam, praeventu facillimam Artificialem, medicationis patientem Symptomaticam, delicatiſſimam denique & artificiolorum, impatientiſſimam Criticam.

Dari praeterea Purpuram acutam, periodicam, chronicam, ſcorbuticam.

Aeque periculoſam ceteris paribus rubram eſſe, ac albam & cryſtallinam.

Obtinet & apud nos quoque ab aliquot retro annis, puerperarum purpura, ſatis ſubinde periculoſa, ut plurimum factitia.

Nascitur haec (α) Ab exhibitis partus tempore medicamentis pellentibus aromaticis acribus. — (β) A rudi obſtetricum manu, interna muliebria laedente, — (γ) A violenta ſecundinarum protractione, raro ſine uteri noxis poſſibili (d). — (δ) A relictis timide in ute-

(d) Digredi nos hic jubet quaeſtio inter recentiores admodum controverſa; utrum reſtitantes in utero

utero ſecundinis, ibi putreſcentibus, reſorptoque in venas tabo hoc putrido. — (ε) A remediis emmenagogis, calidis, acribus, ſanguinis exaeſtuationes

augen-

ro poſt partum ſecundinae, docta manu educendae, an relinquendae ibi ſint, & committendae obſtetricanti Naturae? Sunt, qui cum veteribus, *Hippocrate*, *Aëtio*, *Aegineta*, *Avicenna*, *Paraeo*, *Luſitano*, aliisque, eductionem ſecundinarum artificialem damnent; ſunt, qui praeëunte *Fabricio ab Aquapendente*, *Dionyſio*, *Timmio*, *Rochaeo*, *Amando*, *Peu*, *Mauriceau*, *Röderero*, pluribusque obſtetricantibus Medicis recentioribus, non utilem modo, ſed maxime neceſſariam hanc operationem cenſeant. — Profecto, ſi rudi adeo manu, ſi ungue adunco, ſi appenſo funi umbilicali pondere, ad ſcalam alligatae puerperae evellitur ſecundina; quales methodos *Aëtius*, *Aegineta*, *Avicenna*, *Moſchi*, ſolum noviſſe videntur, quasque *Mercatus* ſuadet, *Portalius* probat, *Ruyſchius* admittit, *Muralto* exercet: Si porro naſcentia ex putrefactione relictarum in utero, & cum eo unitarum ſecundinarum, mala; a *Ruyſchio*, *Kerkringio*, *Bartholino*, *Menzelio*, *Solingeno*, *Zacuto Luſitano*, (ut fit) adeo vilipenduntur, nataque ex inconſiderato, incauto & crudeli hujus productionis modo, incommoda, huic ipſi operationi tribuuntur; fieri non potuit, quin haec officii obſtetricii pars, ſuſpecta facta, fere eviluerit. — Verum enim vero quum adminiſtrata ex mente *Fabricii*, *Dionyſii*, *Rochaei*, *Amandi*, *Peu*, *La Motte*, *Deventeri*, *Hornii*, *Mauriceani*, *Rödereri*, *Thebeſii*, haec placentae ſepara-

augentibus, ad expellendas ſecundinas uſualibus. — (ζ) Ab abuſu potiuncularum cardiacarum, vinoſarum, aromatibus acuatarum, ſtatim poſt partum exhiberi ſolitarum. — (η) A propinatis, infami vetularum noſtratium more, doctaque

ſeparatio, juſto tempore, docta, oculata & experta manu, provide, prudenter & placide facta, nunquam, vel minimum mali creet; potius dolores poſt partum ſolitos, inſigniter minuat, (praeſertim ſi ſanguinis congrumati quoque educendi copia fuerit) uteri reſtitutionem juvet, haemorrhagias minuat, lochiorum fluxum ordinatiorem reddat, febres antevertat, mentisque alacritatem puerperae mire reddat: Contra autem ſecundinarum retentio earumque inevitabilis & cita putredo, nonſolum utero, in quo contingit, excoriationes, putredines, ſphacelos, teſte *Corbæo*, *de la Motte* aliisque contrahat; ſed vitae ipſi ſumma pericula ſtruat; febres putridas, malignas, notante *Paraeo*, *Spachio*, &c. incendat; a reſorpta in M. S. corrupta hac foetida & cadaveroſa materia: ſicque vomitus nigros, alienationes, ſyncopas, convulſiones, producat: quorum exempla apud *Amandum*, *Peu*, aliosque plures, dictorum veritatem ſatis demonſtrant; ſane non video, cur manifeſto puerperarum periculo, naturae hoc opus relinquere timida debeat obſtetricantis manus, vana confidens ſucceſſuum aliquando felicium ſpe; quum a relictis in utero & putrefactis ibi ſecundinis, natarum purpurarum, & funerum quotidiana certe proſtent & indubitata exempla.

ctaque Obſtetricum quarundam ignorantia, primis puerperii diebus, ſudoriferis, ſollicitaque & anxia cura, puerperam tegumentorum calidorum, gravantium mole, ad eliciendos, quos ſaluberrimos ſomniant ſudores, obruendi, quin ſuffocandi. — (θ) A neglecta munditiei neceſſaria cura, dum ſordibus putreſcentibus immerſae jacent inopes miſellae, lectulique renovationi & nitori non ſatis proſpicitur. — (ι) ab imprudenti lochiorum forte retardatorum per remedia calida, acri, a promotione. — (κ) tandem ab aëre vapido, impuro, putrido, non ſatis renovato, qui omni cura in cubiculo puerperae alitur. Evitentur haec, & ex centenis, vix Una, purpura laborabit.

Semel in Pago nobis vicino, cui Eikel nomen, purpuram illam bullatam obſervavi, cujus *Kramerus* in Comm. Lit. Norimb. 1735 mentionem facit. Foemina erat; quadragenaria forte; Huic, dum epidemica ibi circuiret purpura, univerſa, qua patet, corporis ſuperficies, in veſicas bullatas, acri lympha plenas,

quaſi

quaſi a veſicatorio natas, elevabatur, quinta febris die. Sanabantur hae brevi poſt, premente interim aegrotam febri, ut videbatur, lenta. Tandem abſceſſus magnus in coxendice natus, puris incredibilem copiam fundens, eam reſtituit.

Omnes hae Purpurae diverſae ſpecies, in morbi principio difficillimae diagnoſeos & prognoſeos ſunt, niſi epidemicae fuerint.

Sine liquidorum ſolutione putrida, aut telarum nervoſarum, tendinearum, valde irritabilium laeſione (c) vix contingunt:

(e) Notavit cl. *Werlhof*, vir πρακτικώτατος in tractatu ſuo pererudito, *de Febribus*, aliquot exempla, nati a memoratis ſupra cauſis morbi miliaris. Sic poſt fractum crus, lacerasque aponeuroſes tendineas purpuram excitatam vidit. Eundem morbum ex puncto tendine, poſt infelicem venae ſectionem ortum idem memorat. Largam miliarium ſegetem poſt laeſum Siphone Clysmatico inteſtinum, effloruiſſe, auctoritate Medici inclyti, ex amicis ſuis refert. In genere, facile naſci miliarem morbum ab inflammationibus nervoſarum partium, expertus affirmat. Facile ergo reſolvenda foret quaeſtio: Cur a violentiori ſecundinarum ex utero evulſione Purpura?

tingunt: his autem praeſentibus, facile ſequuntur.

Unum reſtat, quod moneam. Morbus miliaris, ſi acutis febribus nuptus ſit, raro, diebus, quos criticos vocant, circumſcribitur; uti omne fere morborum epidemicorum genus.

Commune hoc nobis eſt, cum omnibus, ſub craſſo, impuro, humidoque coelo viventibus, fatum; ut morbi epidemici, praeſertim acuti, dies illos, quos antiquitas criticos ſalutavit, transſiliant, medicumque obſervatorem ludificentur ſaepe ſaepius. Riſit itaque, ſed amare nimis, *Pitcairnius* (f) anxios dierum Hippocraticorum perveſtigatores; praecipue, quum praeëuntem viderit proximiorem *Coi* temporibus *Galenum* (g): Quem noſtro aevo cl *Eller*, (h) *Medicus*

(i) fe-

(f) Elem. Medic. I, 7. §. 3. 4.

(g) Libr. de Criſ. I, 4.

(h) Obſervationes de cognoſcendis & curandis morbis praeſertim acutis, p. 35.

(i) felicesque alii Germaniae noſtrae Practici ſunt ſecuti.

Circa criſes ipſas; ſi quae; notandum: Quod raro admodum ſub noſtro coelo morbum perfecte judicent: Non quidem ubique ob medendi perverſam methodum popularem, (cui morborum Britannicorum anomaliam tribuit *Carolus de Clermont* (k) qui Anglorum Medicos tantam ſaepe methodo ſua confuſionem morbis affundere inquit, ut neque contemplabiles, nec indices, nec medici, nec critici dies, obſervari queant;) ſed ob accuſatam jam conſtitutionem noſtri coeli, frigidiorem, nebuloſam, variantem, humidam. Notavit idem hoc jam *Baglivius* (l) *Pechlini* (m) *Cheyne* (n) *Ketelaer* (o) &c.

Tur-

(i) Beobachtungen, II Band, S. 439.

(k) De Angliae aëre, aqua &c. p. 38.

(l) Prax. Med. II, 12. I, 15. In paludoſis & ſeptentrionalibus regionibus raro criſes perfectae obſervantur, inquit, ut germani, aliarumque frigidarum regionum Medici abunde teſtantur.

(m) Obſervat. Medic. II. 17.

(n) Tract. de Morb. Angl. II. 8. §. 5.

(o) De Aphtis Belgarum.

Turbat hoc Medicos praecipue juniores, in Hippocraticis ſcholis formatos adtentos, induſtrios; dum bonae criſeos ſpe ſaepe excidunt, & circa laeta praeſagia turpiter falluntur.

Solvitur Purpura alvi fluxu & quidem tutiſſime. Obſervata me numeroſa docuerunt, ſaepius, quam quidem creditur, purpurae matrices in primis viis earumque diverſoriis haerere; quibus exturbatis, morbus hic, velut incantamento profligatus, ſilet ſaepe totus. (p)

Solvitur ſubinde, ſed rarius, urinis: Reſorpta ex humorum latice, vel ex ipſo inteſtinorum canali, materia hac exanthematica cruda. (q)

Sol-

(p) Ante Decennium Febris apud nos circuibat pertinax, ſubinde XVIII, XX, XXI, XXIII, die exanthemata protrudens miliaria, rubra. Exhibita ſtatim in morbi principio laxantia, ſervataque per totum ejus decurſum alvus lubrica, morbum nonſolum breviorem fecit, ſed exanthematum quoque eruptionem feliciſſime praevenit.

(q) Dari revera inter primas vias organaque urinaria, viam propiorem, ad renes non aſcendentem, pro-

Solvitur tandem, ut & alii, ex putridorum claſſe, morbi, accedente Ptyalismo.

Haec tria illa ſunt, quae Natura parare ſolet ſolvendae Purpurae remedia.

Cauta ars ſit Natura imitatrix.

Nobis nuper epidemicum hunc morbum ſequentes paginae ſiſtent, ejusdem cum Hiſtoriam, tum ſimplicia ipſi oppoſita medicamenta exhibentes. Prophylaxin addidi; de qua cl. *Unzer* uberius.

Vale Lector, utere his, noſtrisque laboribus fave.

probant capta a me in vivis animalibus experimenta. Vid. Diſſert. noſtr. de Singultu in Append. p. 64.



HISTORIA
FEBRIS SCARLATINO-MILIARIS-ANGINOSAE.

§. I.

Non immerito inter varias Epidemiarum matrices principatum tenet aëris ἀκαταστασία. Hoc enim elementum ſubtile, penetrans, mobiliſſimum, per univerſa naturae regna vix non omnipraeſens, vitae vegetativae & animalis vigorem & ſanitatem ſervat, tuetur, mutat, alterat, debilitat, deſtruit; pro varia ſui bona vel mala conſtitutione. Ante autem, quam ordine ſingula haec pertractemus, neceſſum maxime erit, ut in ipſo hujus opuſculi limine, tribus ſaltem perquiramus, quid Aëris communi nomine veniat, & quae ejus cataſtaſis noſtro reſpectu nociva putanda?

Praemiſſis his, noſtri quoque coeli rationem, indeque natam Epidemiam prolixius tractabimus.

§. II.

Aër, qui nos ambit, Elementum ſimplex & purum non eſt. Ejicit omne corpus continuo ſui quasdam particulas; calore, vel innato, vel ſole, vel vento elevatas, circumfuſae nobis Atmosphaerae inſerendas. Omnis haec aſcendentium ex aqua, ſolo, plantis, animalibus, hominequeipſo particularum halituoſarum grex, in unum confluens, maſſam illam chaoticam conſtituit, compoſitiſſimam; quam Aërem vocamus. Major vel minor horum halituum copia, eorumque vel amica vel prava indoles, aëris impuri vel puri, ſani vel inſalubris ideam determinat.

§. III.

Aër itaque hoc ſenſu purus, particulis tamen nunquam non ſcatet heterogeneis, corporis animalis nexui inimicis, ſolventibus, interſtitiis fibrillarum ſenſim ſeſe inſinuantibus. Hae compagem ſolidorum laxant, & quo ſecundum naturam uniuntur, gluten, ſolvendo, prima corruptionis ſtabiliunt fundamenta; non niſi vi vitae actuoſae propulſanda. In liquidis par ratio, (a). Ancipiti huic

(a) Hoc fundamento nititur partium animalium poſt mortem conſervatio artificioſa: dum vel materiei,

huic aëris naturae ea potiſſimum temperies patrocinatur, quam *Hippocrates* μαλθακὸν (*mollem*) vocat, febrium ardentium, putridarum, phreniticarum opificem; quam *Galenus* in commentariis ad hunc locum non inepte per θερμὸν καὶ ἄπνουν (*calidum & ventorum expertem*) interpretatur (b). Auferunt enim venti, quam halitibus propriis no-

riei, aëri acceſſum liberiorem neganti immerguntur; vel dum eorundem pori materia tenaci, viſcoſa, balſamica, v. gr. vernice penitus obliti clauduntur, aëremque prohibent. Certius autem hoc fit, ſi ejecto prius certa arte aëre interno, externus dein quoque arceri & omnino abigi poſſit. Sic mumiae per ſaecula incorruptae manent. Idem in liquidis obtinet, v. gr. Sanguis humanus, humor inquilinus, compoſitus, cito putreſcens, lac ſimiliter, dum antliae ope exhauriatur ex illis aër, clauſumque ſollicite ſervetur continens vas vitreum, per plures annos incorrupta perſtant. Pericula hujus rei fecit a. 1741. cl. *Eller*. Hic ſanguinem, lac, vinum, memorato modo aëre orba, in vaſe clauſo ad annum usque 1756. ſervavit: Ubi menſe Aprili, apertis vaſis; lac, vix ac ne vix quidem alteratum; ſanguinem autem & vinum, ne vel minimum quidem a naturali ſtatu mutata deprehendit, vid. *Hiſt. de l'Acad. Royale des Sciences & belles lettres à Berlin* a. 1757. art. II. p. 20-30.

(b) Probant *Galenici* hujus dicti veritatem claſſiarii, qui, dum ſub calidioribus Zonis, ſilente vento, diutius haerere coguntur, peſſimo ſcorbuto, languoribus, morbisque aliis acutis, putridis corripi ſolent.

bis circumfuderamus Atmoſphaeram ſqualidam, t pidam, moleſtam, brevi periculoſam (c), reſpirat ſaepius aëre, copioſisque humorum excrement inquinatam; aſportant circumnatantia nos, ſaep noxia effluvia, horumque loco recentem corpo noſtro aërem continuo applicantes, reſpiration vitae, ſanitati proſpiciunt (d). Continuus itaqu requiritur Atmoſphaerae nos ambientis, fluxus & refluxus, continuaque agitatio (e); cum ex mod dictis abunde pateat, puriſſimum quamvis aërem ſi

(c) Recluſum in amplo quamvis vaſe, aërem novu aditu prohibente animal, cito perit. Vide cap circa hanc rem a *Thoma Laghi* experimenta Commentariis Bononienſibus Tom. IV. art. Quibus cl. *Cigna* obſervationes, circa vitiatu variis halitibus aërem merito jungendae, huj enim experimentis conſtat: corruptum reſpir tione animali aërem, nonſolum alia huic immiſ animalia ſuffocare; verum plantas ipſas in inqu nata hujusmodi aura, deficere.

(d) Renovandi aëris ſummam, neceſſitatem, ſi nc propria circa hanc rem & multiplex in Noſoc miis experientia; ſaltem obſervata cl. *Pringle* ci ca morbos incarceratorum in Newgate vid. *Phil ſophical Transactions*, Vol. XLVIII. part. I. 45. Nec non monita cl. *de Haen* Libr. de Febr bus cap. I. §. 4. p. m. 77. Tandem Experier tiae cl. *du Hamel* circa aërem captae, §. VI. ir ſignisque ventillatorum *Haleſianorum* huic ſcop militantium, in navibus, carceribus, alibiqu uſus, ſatis ſuperque hoc demonſtrant. Confe his cl. *Boerhaavii*, *Graveſande*, *Muſchenbroeck* inſtituta tentamina.

ſi immotus circa nos haereat, cito corrumpi, elasticitate ſua privari, exhauriri, occultumque, quod vehit, vitae pabulum amittere penitus.

Major aëris intemperiei gradus ille eſt, ubi calidus & humidus ſimul fuerit. Tunc enim debilitata ſolida, oneratаque craſſis impuriſque particulis fluida, languorem corpori morboſum conciliant, utrorumque corruptione terminandum (f).

A 3 Citius

(e) Ad animalis, flammaeque ardentis ſuſtentandam vitam, aër nonſolum purus, novus, libere accedens ſufficit: Moveatur neceſſe eſt, ſi utrumque vivere velis. Candela ardens, laternae incluſa, ubi aëri ſupra flammae locum aditus modo liber patet, brevi exſtinguitur. Perit eadem ſatis cito, ſi a latere, aëri acceſſus ſolum detur. Tunc demum vivere perget; Si infra flammae locum & ſupra eandem, aëri pertranſeunti aperta pandatur via. Eſt experimentum cl. *de la Grange* in Miſc. Philoſ. Math. Taurin. Idem probant metallifoſſores; qui, dum ultra modum longos in terrae viſceribus cuniculos agunt, aura tandem vitali privantur; niſi novis puteis effoſſis, aëri tranſeunti aperiatur iter. In carbonum noſtrorum fodinis, longitudo haec, tempore aeſtivo ad 300; hyeme autem, coelo ſereno, horis diurnis, ad 350; gelidiori tandem aura, horis nocturnis ad 375 quin 380 ad ſummum, pedes rhenolandicos adſcendit.

(f) Conf. *Hipp.* Sect. III. aph. 94. Sect. IV. aph. 90. ubi aeſtatem calidam & humidam, febrium remittentium putridarum fertilem renunciat. Cui cl. *Boerhaavius* accedit: Putrefactionem humorum vix alia cauſa magis promoveri adſerens; quam

Citius hac contingent, ſi particulis peregrinis, gravibus, nocivis, putridis, Atmoſphaera ſcateat tunc enim pro varia miasmatum natura, varius quoque emerget in corpus noſtrum effectus Hujus claſſis nebuloſus aër eſt, & qui circa paludes locaque uliginoſa, metallifodinas, majoresque cavernas inſpiratur. (g).

Sanitati denique contrarius eſt ille aër, qui ſaepe, citoque varians, ſubitaneas frequentesque corpori mutationes imprimit; tanto ſemper periculoſiores, quanto major, vehementior & celerior fuerit viciſſitudo (h).

§. IV.

quam aëris calidi humiditate; quae breviſſimo tempore in tabum putrefactum reſolvat corpora eo diſpoſita, Elem. Chem. p. m. 483.

(g) Hinc Pedemontana urbs Eperodia, lacui vicina, morbis putridis exanthematicis prae aliis teſte *Allionio* patet: Morboſque malignos contagioſos plerumque poſt praegreſſas inundationes generari notat cl. *Ramazzini.* Confer, quae cl. *Richard* in Tractatu ſuo de Aëre Part. II.

(h) Vera de hac re Poeta cecinit:

Saepe cum autumno, cum formoſiſſimus annus,
Plenaque purpureo ſurrubet uva mero,
Cum modo frigoribus premimur, modo ſolvimur aeſtu,
Aëre non certo corpora languor habet.

Hippocrates autem pernicioſiſſimos acutiſſimosque morbos eventuros praedicit, quando eadem die, modo calor, modo frigus fuerit. Sect. III. aph. 4. & 9. Et ſic de ceteris aëris mutationibus ſubitaneis.

§. IV.

Aër hic jam deſcriptus, fluidum hoc variantiſſimum, tot tantisque viciſſitudinibus continuo obnoxium, cibo potuique, quem capimus omni implicatur; chylo, reliquisque humoribus corporis noſtri inquilinis jungendum. Idem illud inſpirando intimis pulmonum penetralibus adplicatur; quin a Myriadibus hiantium, quibus cutis noſtra ubique pertunditur, venularum, reſorptum (i), univerſae noſtrae ſubſtantiae inmiscetur, ſic ut ſolida ſimul & fluida pervadat omnino (k). Quid mirum, ſi Atmoſphaerae viciſſitudinibus reſpondeat, undique iisdem prorſus particulis repletum humanum corpus? Optime conſenſum hunc nos docent, viva, quae ubique circumeunt, barometra illa humana; quamlibet fere aëris, vel levidenſem duntaxat mutationem, Torricellianis tubis certius & citius indicantia. Sic aëris viciſſitudines aſthmaticos gravant, capite debilibus cephalaeas inducunt, aliis

(i) Quantam liquidi copiam, hiantium vaſorum abſorbentium, cutaneorum, oſtiola, ſugere, corporique ingerere poſſint, docent inter alia cl. *Keilii* experimenta; quibus conſtat: reſorptas a poris jejunio confecti juvenis, intra unius noctis ſpatium, uncias liquidi decem & octo. In hydropicis, reſorpta per venas bibulas humorum copia, fidem ſaepe omnem ſuperat.

(k) Vid. *Malovin* de Morb. Epidem. & aëris viciſſitudinibus dans *l'Hiſtoire de l'Acad. Roiale des Sciences* à Paris, a. 1747.

vertigines, aliis torpores creant; membris olim vulneratis, praeſertim oſſibus fractis, dolores; hypochondriacis, varii generis ſpasmos; hydropicis, ventris intumeſcentiam; arthriticis cruciatus varios; idque omne ante ipſam aëris actualem in macrocoſmo mutationem, in microcoſmo jam contingit.

Sic virginem novi, quae jam a longo tempore durum & tumidulum abdomen gerit. Haec omnimodam fere aëris mutationem, antequam ingruit, accuratiſſime praedicit; & ita diſtincte quidem, ut ventorum mutatio aërque procelloſus, dolores colicos; pluviae inſtantes, auctam ventris molem; tonitrua, tremores procreent. Cl. *Berryot* exemplum notavit (l) centurionis cujusdam junioris, jam per triennium dyſenteria periodica laborantis. Hic viginti quatuor horis ante ingruentem pluviam doloribus colicis, variisque dyſenteriae familiaribus prodromis; pluente autem jam revera coelo, dejectionibus ipſis regulariter affligebatur. Alterum idem hic auctor adjungit foeminae hydropicae exemplum; cujus ventris intumeſcentiam ex barometri ſui mutationibus ita tuto praeſagire ſe poſſe affirmat, ac centurionis dyſenteriam (m).

§. V.

(l) Memoires de Mathematique & de Phyſique preſentés à l'Acad. Royale des Sciences Tom. II. art. 54.

(m) De aëris in Corpus humanum effectibus legi meretur *Baſteri* tractatus de aëre, multorum morborum cauſa, vid. *Verhandelingen, uytgegeven door*

§. V.

Hoc modo mutatus aër, cum pro varia ſui indole, ſingula corpora praediſpoſita varie mutare poſſit; ſponte ſequitur, univerſalem ejus malam diſpoſitionem, integris Provinciis communem, multos ſimul earundem incolas, ſimili labe afficere neceſſario debere. Hinc Endemii, ſi naturalis; Epidemii morbi ſi fortuita fuerit, & accidens hujusmodi aëris ἀκαταστασία. Sic flava Occidentalis Indiae febris, nocivam aëris temperiem, humidam, calidam, putrem, pro cauſa habet (*). — Morbi illi, Guineae vallibus frequentes, quas cl. *Lind* deſcribit; ſoli aëris noxiae diſpoſitioni merito tribuuntur (n). — Scabioſos foeminarum Bolognen-

door de Hollandſe Maatſchapy der Wetenſchappen tot Haerlem part. III. p. 37. ſeqq. it. cl. *Huxham* obſ. de Aëre & Morb. epid. ann. 1728-1737. Plymouthi factae: Nec non *Carli Gianelli Trattato di Medicina praeſervativa* part. I. ubi de aëris nos ambientis ingreſſu in corpus, ejusque variis effectibus concinne admodum diſſerit. Neque hic praetereundam opinor memorati jam cl. *Berryot* utilem illam, quamvis non omnino novam obſervationem; quod coelo humido & pluvioſo exhibita purgantia, citius, efficacius, minoribusque doſibus operentur, quam aëre ſereno, ſicco.

(*) *Jacob Makittrik* Diſſ. inaug. de Febr. Ind. Occ. maligna flava. Edimb. 1766.

(n) *Eſſay on diſeaſes incidental to Europeans in het climates.* London 1768.

ſium morbos, aëris impuritati adſcribit cl. *Richard* (nn). — Inter morborum inſulae Minorcae endemiorum, exanthematicorum, principes cauſas, ſolers naturae ſcrutator, Anglus, *Cleghorn*, aërem impurum nebuloſum nominat, quem venti Boreae oppoſiti advehunt, qui humidam, calidam & inconſtantem aëris temperiem generantes, incolarum ſanitati quam maxime nocent (o). — Auguſtam Taurinorum, urbesque Pedemontanas, Bugellam, Nicaeam, Villamfrancam, &c. praecipue ob impurum & variantiſſimum ibi coelum morbis acutis miliaribus prae aliis obnoxias cenſet *Allionius* (*). — Eodem plane modo Belgarum ſcorbutus, Britannorum melancholia, Polonum plica, Hungrorum febres &c. a climate ſic dicto pendent — His Epidemias quoque aliquot celebriores, ab aëris ἀκαταστασία natas, ſubjungemus. — Epidemici illi Vratislavienſium morbi a. 1717. a praecedente aëris nociva temperie nati cenſentur in Collectionibus Vratisl. Anni 1717. Menſ. Jul. & Sept. — Morbi Epidemici convulſivi, Marchionatum Brandeburgicum, ipſamque Pomeraniam a. 1723. divexantes (quorum cauſa, clavis illis ſecalinis, quos Mutterzapfen Germani vocant, perperam adſcribebatur) referente cl. *Müllero*, non niſi pra-

(nn) Traité ſur l'Air Part. IV.

(o) *Obſervations on the epidemical diſeaſes in Minorca from the year* 1744 *to* 1749. *p.* 65.

(*) Vid. Tractatum de Origine Miliarium, &c. Cap. I.

pravae aëris diſpoſitioni, poſt praegreſſas inundationes natae, natales ſuas debuerunt. — Celebris *Joh. Godfr. de Hahn* Vratislavienſium epidemicam conſtitutionem anni 1737. deſcribens; principem & veram ſic dictae *malignitatis* febrium illarum rationem, latere aſſerit, in hebetato, ſi non penitus deſtructo, per conſtitutionem aëris tepidam, humidam, pluvioſam, carentesque ventos, & putreſcente hinc aëre, fibrarum & vaſorum minimorum elatere; juncto ſpurcis his humiditatum effluviis. — Febres epidemicas legionibus Britannicis in Flandriae urbe Gandavia a. 1742. funeſtas, omnibus rite perpenſis, ſolum aëri impuro, humido, nec ſatis elaſtico tribuit cl. *Franciſc. Home* (p). — Morbus ille calamitoſus epidemicus, qui Simmiae vallem in Bernenſium dominio a. 1752. vaſtavit, ex ſententia cl. *Langhans*, maxime aëri per longum tempus humido, nebuloſo, huic tractui diu incumbenti, debebatur. — Malignam illam Neracenſium epidemiam anni 1751. poſt maximas, diuque protractas aëris humiditates, natam arguit, Medicus Gallus *Raulin* (q). — Lucenſium morbus ille malignus exanthematicus, ſtatim poſt humidam diu, nebuloſam, auſtrinam, tepidamque aëris temperiem invaluit, notante *Benvenuto* (r). Sufficiant haec ad veritatem *Hippocratici* illius dicti

(p) *Medical Facts and Experiments*, Part. III. p. 14.

(q) Obſervations de Medicine, p. m. 296.

(r) Diſſ. Hiſt. Epiſtol. ad *Jac. Barth. Beccarium*, Medicum Lucenſem ſcripta, a. 1754.

dicti probandam. Sect. III. Aph. 5, 8, 17. *Quod ab aëris conſtitutionibus inordinatis, morbi naſcantur male conſtituti & difficiles judicatu.*

Cognitis his, Hiſtoriam ipſam adgredior.

§. VI.

Inchoans, lapſus nuper annus hujus Saeculi ſexageſimus nonus, inſolita hic loci temperie molli, frequentibusque coelo demiſſis pluviis, tritum illud vulgi proverbium nimis ex vero probavit: *Quod hyemes molles gibba faciant coemeteria.* Silentibus enim, qui coenoſum & humidum aërem a collectis impuritatibus liberarent, ventis, ab Oriente vel Septentrione flantibus; & carente ſimul, inquinamenta aurae hujus vitalis abſorbente gelu (s); fieri non pote-

(s) Mirum ne videatur, quod frigus quoque ad corrigendum aërem inquinatum & vitioſum, aptum dixerim. Docet hoc nonſolum quotidiana experientia; verum ſumta quoque circa hanc rem experimenta, hoc ſatis confirmant. —— Corrumpe v. g. aërem in vaſe amplo, vitreo; halitu, quocumque volueris, animali, vegetabili, minerali; inquina, ſi lubuerit, ſqualoribus candelarum ſebacearum, ſemiexſtinctarum, carbone fumante, igne ſicco: Corrumpe eo gradu, ut candelae flammam, ut animalis immiſſi vitam exſtinguat: corruptum ſic in memorato vaſe reclude. Vas dein nivibus vel glacie operi, vel frigori fortiori expone. Poſt breve tempus, experimentum repete: Flammam in eodem hoc vaſe, in quo paulo ante fuerat exſtincta, jam rurſus ardere, immiſſumque animal jam libere reſpirare & vivere videbis: Aperto indicio; inqui-

poterat, quin eximium in labefactata jam praegreſſis aëris teporibus humana corpora, regurgitaret damnum. Laxatis quippe hac aëris intemperie (§. III.) corporis humani ſolidis, praepeditoque humorum legitimo motu, tarditatem quoque in univerſo ſecretionis negotio cito naſci, corpusque ad ſuſcipiendos facile morbos inaugurari neceſſario debuiſſe, conſideranti cuilibet ſponte patet.

§. VII.

Nebuloſum inſuper, multisque aquoſis & heterogeneis particulis adulteratum nobis advexerat aërem, longo jam tempore Auſter; qui, neſcio, an ob levitatem, quam aëri apud nos conciliare obſervatur, an ob humiditatem, quam aeque ac Zephyrus adfert, infenſior, corpora molli ſua temperie, mollia facta, morbis jam actu procreandis propius diſpoſuerat. Aër enim externus, cum ad ſaturationis punctum particulis aquoſis continuo refertus, & propterea imbibendorum amplius ejusdem naturae liquidorum incapax eſſet; apparet facile, transſpiraturas ex noſtro corpore particulas halituoſas eo ipſo repelli, in vaſa excernentia retroagi, humorum maſſae reddi, ibique magis magisque cumulari debuiſſe: unde totius laticis δυσκρασία, lentor, corruptio; cujus putredines, febres, alvi fluxus, promtae pediſſequae. Haec in fluidis. — In ſolidis, balneo hoc quaſi vaporo-

inquinatiſſimum quoque aërem, ſolo accedente frigore corrigi & renovari poſſe. Eſt experimentum cl. Ludov. *de la Grange* in Miſcell. Taurin. tom. I. an. 1759.

poroſo continuo fotis, ſoluta compages, minor cohaeſio, elater minor & manifeſta debilitas morboſa (t). Intelligitur ergo: quae & quanta ex notabili hac vaſorum flacciditate & atonia, in corporis noſtri liquida, ratione circuli, triturationis, ſecretionis & excretionis manaverint damna: & quid viſcera ex his compoſita neceſſario inde ceperint detrimenti. Staſes nempe humorum, obſtructiones, inflammationes, infarctus, verbo, totam brevi laeſam functionem; unde rurſus ſuccorum quorumvis, vitae & ſanitati impendendorum prava praeparatio, diſtributio, applicatio. Hinc corporis univerſi prava nutritio, cacochymia, languor, gravedo, quin ad ſtateram quoque auctum pondus.

§. VIII.

Circa hoc tempus, Africo & Coro flantibus, febres invaluerunt, σύνοχοι, diarrhoeae, dolores vagi, rheumatici, ſcorbutici, in adultis. In infantibus, branchi, tuſſes, dejectiones frequentes, virides, vomitus. Tandem variolae ſeſe manifeſtabant, jam ab aliquo tempore ſporadice circumeuntes, primo in pagis vicinis, regionibusque ſuburbanis, Occidentem & Subcircium verſus ſitis; dein & in Urbe ipſa, ubi jano redeunte oſtiatim fere per plateas progrediebantur; ſic, ut, ſi pauciſſimos excipias; ex

(t) Patet hoc in robuſtiſſimis ex annoſa ilice aſſeribus: Hi, quin & trabes ipſae, halitibus aquoſis calidis expoſiti, flexiles & tractabiles fiunt; navium cortinis, coſtisque aptandi. — Dura cervorum cornua, vaporibus hujusmodi fota, molleſcunt omnino, paſtae ad inſtar regunda, & quantum inter haec & ſolida corporis noſtri viva diſcrimen!

ex infantibus, nullus fere, qui ante eodem hoc morbo non laboraverat, immunis manſerit. Satis benigna tamen fuit haec epidemia: In Urbe enim, ex infantibus qui decubuerunt, circiter vigeſimus; ex adultis autem hoc morbo correptis, deceſſit, quantum quidem ego reſcivi, nemo: etiam ruri. Tandem, cum pauciora, in quae deſaeviret morbus, ſupereſſent ſubjecta, peregre profectus eſt, Montanasque & quae verſus Eurum ſitae ſunt, Transruhranas provincias invaſit: Majori tamen ibi, quam apud nos edita ſtrage.

§. IX.

Interim pergens aëris levitas, ejusque enervans humidus tepor, ceſſantibus jam tum variolis, febres mali moris, putridas, longas, ſubſtituit; Purpura, quam ſcorbuticam vocant, dum protraherentur, terminatas; non tamen hac ἐκκρίσει proprie judicandas (u). Silebant hae, dum circa aequinoctium Ver-

(u) Cl. *Navier* Medici Pariſini tractatum forte evolvens cui inſcriptio: *Diſſertation en forme de Lettre ſur pluſieurs maladies populaires* à Paris 1753. miratus profecto ſum analogam gallicae illius, quae in campis Catalauniis (*Châlons ſur Marne*) a. 1750-51. graſſata fuit, epidemiae, cum noſtra naturam. Haec, poſt variolas benignas, gelido tempore affligentes, miteſcente & in mollem tranſeunte aëre nata, mortes ubique ſparſit. Febres malignae fuerunt, Scarlatinae, cum Anginis. Altera jam morbi die ſcarlatinus color erupit, cum pulſu parvo, frequenti, & corporis aeſtu urente. Urina parca & bruna fuit in morbi ἀκμῇ, interdum ſanguinea.

Vernale ſerenior intercederet & Borealis aura: Quae tamen menſe Majo in tranquillam & mollem rurſum tranſiens, admodum nocivam aëri conſtitutionem intulit. Auctis quippe jam dum caloribus; elevati ex ſolo, cui inſidemus, pingui, lutoſo, argillaceo, ſulphureo, varii generis vapores impuri, uliginoſi, noxii, circa terrae ſuperficiem natabant immoti; ob ventorum obmuteſcentiam in dies augendi. Saturata ſic peregrinis his particulis Atmosphaera, per menſem & quod excurrit non mutata perſtitit: Et quanquam meridianus ſol elevaverit ſubinde graviora haec aëre miasmata; redeunte tamen circa crepuſcula, frigidiori aura, nebularum adinſtar revertebantur. Foetida haec, quodlibet olerum hortenſium genus rubigine defoedabant; ſic, ut fabarum familia, maximam partem inſectis pedicularibus incruſtata, in flore vix non perierit, reliquaque ſiliquacea, curtam admodum meſſem dederint. Junge novam hanc aëris pravitatem memoratis jam praediſponentibus morborum cauſis; & explicatu facile erit, undenam deleterii tales morbi fines noſtros, raro admodum epidemiis hujusmodi obnoxios, fuerint in-

nea. Omnibus ſexta die cuticula ſeceſſit. Gangraena, niſi cito ſuccurreretur, fauces facile occupabat. Multi quarta v. quinta morbi die interierunt. Nonnullis magna ſaniei copia ex ore & naribus profluxit: Hi ſervati ſunt. Infantes, ſublata febre, leucophlegmatia corporis prodigioſa corripiebantur. Mortuis ex hac febre maculae rubrae poſt mortem eruperunt. En morbum, noſtro, uti mox patebit, per ſimilem!

ingreſſi (v). Praeſertim cum proximo Junii menſe quotidiana aëris, ventorum, tempeſtatis viciſſitudo, imbriumque copioſior delapſus acceſſerint.

§. X.

Vario jam idiomate, varia loca ſporadice primum invaſit, mox ἐπιδημικοτέρα lues. Jam enim febrim mentiebatur catarrhalem, doloribus artuum rheumatodeis notatam, ſenſim ad deliria usque accenſam: Unde poſt varia rerum diſcrimina tandem evadebant ii, quibus infantum more achores vel favi in capillata capitis parte naſcerentur, vel ipſa facies, lactea quaſi cruſta deturparetur, (w). Alibi

(v) Excipe quod anno quinto & ſexageſimo hujus ſaeculi, menſibus primis, exanthematicum hujus claſſis morbum, juvenilibus annis pariter infeſtum *Eſſena* viderit. Febris erat putrida, primo jam inſultu exanthemata protrudens miliaria, cum colore Scarlatino. Inſtabat inter prima delirium, atrox, phreniticum; accedebat diarrhaea, bilioſa, putris, poſt convulſiones, morte terminanda. Nonnullis quinta, aliis ſeptima v. nona dies fatalis erat: & quanquam tunc temporis ex honoratioribus unus & alter perierit, non tamen adeo late diffuſa eſt illa epidemia, quam haec, cujus hiſtoriam jam tradimus.

(w) Larvata hujusmodi catarrhalis febris Vratislaviam anno 1737. invaſit. Deſcripſit hanc *Tob. Ferd. Pauli* in Act. Nat. cur. vol. VI. obſ. 66. — Latius per plura Europae loca divagantem a. 1729. memoriae prodidit cl. *Loew* in iisdem actis vol. III. in Append.

Alibi anginae mitioris formam induit; brevi poſt in mentis alienationem, paralyſin faucium, aphoniam, Gangraenam, mortem deſinentis, absque ullo urgentis adeo mali vel leviſſimo indicio (x).

Illic ſynochi ſpeciem prae ſe ferebat, per unum alterumque diem leviſſime decurrentis; cui tamen fide citius, praecordiorum anxietas & praefocatio delirium, & non niſi morte finienda diarrhaea putris ſuccedebat.

Modo ſub febris hemitritaeae larva incedebat (y), ut plurimum noctu affligens, ſub diluculum mitior: ita tamen, ut vehementes adeo paroxismi fuerint, ut ſaevitiae morbi vix pares poſt unum alterumve inſultum judicaſſes decumbentes aegros. Anxietates quippe ſummae, inquietudines, deliria, fere ubique obſervabantur. Adeoque conſtans fuit & individuum hujus morbi ſub quacunque etiam ſpecie appareret ſymptoma, delirium: ut ipſe hic morbus febris inſanae nomen (**das toll Fieber**) per vulgus meruerit.

§. XI.

(x) Eandem ſcenam fere luſit Pariſiis angina ibi epidemica, gangraenoſa; vid. Memoires de l'Academie des Sciences pour l'année 1743.

(y) Eundem hunc morbum malignum miliarem, ſub tertianae duplicis continuae figura incedentem *Aurelia* urbs a. 1747. menſibus autumnalibus quoque paſſa eſt; vid. Memoires de l'Acad. des Sciences à Paris pour l'année 1747.

§. XI.

Haec menſibus aeſtivis conſtitutio fuit, ubi ventus ut plurimum ab Occidente in Septentrionalem vel Borealem plagam tranſiens, adeo celerem ſaepe aëris mutationem producebat; ut autumnalis frigidior aura, torrenti caniculae aeſtui intra paucas horas plerumque ſuccederet: Praeſertim ubi natae cum Euro vel Subſolano tempeſtates & tonitrua fuerunt, imbribus ut plurimum juncta. Tunc enim tanta caloris viciſſitudo; ut thermometron Reaumurianum, quod in aëre aperto brevi ante ultra trigeſimum gradum aſcenderat, paulo poſt ad ſeptimum decimum usque ſubinde deprimeretur.

Subitum talem calorum in frigora tranſitum, adapertis modo corporis poris & rarefactis liquidis, modo conſtrictis cutis colatoriis, condenſatisque & ſanguini redditis, transſpiraturis humoribus, corpus noſtrum, uti jam §. III. monuimus, nequaquam ſine noxa fert. Et revera, his atmosphaerae mutationibus, ſubitaneis, frequentibus, lues noſtra majores induit vires, primamque formam.

§. XII.

Magnam quippe inter homines ſtragem jam ediderat morbus, antequam ad aliquod typi genus accedere, pluresque ſimul eodem modo adoriri inciperet. Sequentia, prima fuerunt, quae mihi,

ſub finem Julii, in plurimis videre obtigit, ſymptomata. In principio torporem aegri accuſabant ad motus voluntarios, celerioremque ad ſolitos labores delaſſationem, cui notabilis accedebat faucium ariditas, continuusque ſcreatus. Brevi poſt dolebat lingua, uvula relaxabatur; tumentibus & ardentibus ſimul, necdum inflammatis, ſed ſtigmate interdum albo notatis tonſillis. Naſcebatur nauſea, ſubinde ad vomitum usque aucta, quam preſſo pede febris ſequebatur, ad ſenſus non quidem graviter affligens, cum pulſu celeri, contracto; ſed vires aegri breviſſimo tempore ultra fidem proculcans. Jam perfecta aderat ſynanche, cum omnimoda ſaepe & liquidorum quoque deglutionis impotentia. Sitis fere nulla, pulſus in progreſſu parvus (z) celer, frequens, ſubinde inaequalis. Alvus vel omnino ſicca, vel turbata omnino, cum oris & faucium ariditate ſumma. Haec intra triduum ſaepe ita augebantur; ut accedente praeſertim incongrua medendi ratione; poſt mentis perturbationes, gulae paralyſin, ἀφωνίαν &c. quarto vel quinto ut plurimum die, rarius ſexto vel ſeptimo, mors inſequeretur. Pauciſſimis ad ſuppurationem promota tunc temporis faucium inflammatio; & quibus facta, his ſuperficialis ſolum fuit. Aliis accedens ſponte vomitus, anginam abſtu-

(z) Sub pulſu *parvo*, languidus vel imbecillus non intelligendus; potius is, quem conſtricta arteria, digito tangenti, ſolito vel naturali minorem praebet.

abſtulit. Arte tamen prolectus inflammationem auxit. — Lenia laxantia, antiphlogiſtica, diluentia, potus largus, aura frigidior, frequens enema, medicamenta pauca, auxilio fuerunt.

§. XIII.

Ne infantuli quidem ab omni labe immunes prorſus manſerunt. Circa hoc enim tempus tuſſes nonſolum convulſivae, clangoſae, infanticidae, perquam furebant; verum febris quoque miliaris tenera rodebat incunabula. Pertinax & plenum periculi ſororum par; praeprimis ubi verminoſa ſaburra, ut plerumque ſolebat, calamitoſam hanc trigam perficeret. Manifeſti in his qui tuſſi hac laborabant ſpasmodici motus vel externos tenellorum artus defatigabant, vel internas eorundem nobiliores torquebant partes: Sic ut ubique in infimi ventris regione hypogaſtrica oriundi, dein vel in artus, vel in ſeptum transverſum propagarentur. Hinc in illis, quibus jam de ſenſationibus ſuis querendi facultas erat, moleſta quaedam & anxia ſenſatio in abdominis inferiori plaga, ingruentem quemlibet tuſſis hujus fatalis, vel inſtantium convulſionum paroxysmum, ad triginta forte minuta ſecunda, ante ipſum ejus acceſſum monebat. Tuſſim ipſam variae extremorum intorſiones, geſticulationes, aliique involuntarii membrorum motus comitabantur; quin tanta hujus affectus ferocia fuit, ut nonſolum rupta gulae & narium ſanguinea vaſa pleno rivo contenta ſua evomerent, ſed ut

luſci etiam a longiori tuſſi tandem facti ſint tenelli, & manſerint ad hunc diem. Ut epilepticis inſultibus corriperentur alii, poſtea ad minimum corporis irritamentum revertentibus; alii hernioſi fierent, felicesque eſſent illi putandi, qui difficilem hunc morbum vicerint, ſine pulmonum, aliave corporis inde recepta labe. Varia contra hanc infantum convulſivam tuſſim depraedicata a variis medicamenta ſpecifica, quotquot fere fuerunt, incaſſum tentavi: Solus ex cl. *Roſeen* ab *Roſenſtein* & *Brendelii* conſilio adhibitus, vel interne peruvianus cortex, vel abdomini externe ſub pultis forma applicatus, ſpem non fefellit.

§. XIV.

Haec rerum facies erat, cum menſibus Auguſto & Septembri viciniam noſtram invaderet polymorphon hoc morbi genus, primo obtuitu benignum, quod tamen brevi poſt, ſuffoſſis jam vitae ſtaminibus deleterium quod occultabat virus ſubdole monſtrabat. Luctuoſum erat videre, juvenes & juvenculas ante triduum ſanos, vegetos, alacres, jam morbi violentiae ceſſiſſe, floremque juventutis efferri prius, ac de aegritudine conſtaret (a).

(a) Inſidioſam hujusmodi febrim; tectum, uti & hic, miasma purpuraceum habentem, *Londinum* vidit; aeque benignam quoad ſymptomata externa, ſed funerum fertiliſſimam & ultra fidem deleteriam.

§. XV.

§. XV.

Augebatur inſigniter haec clades, dum partim vel nulla omnino, vel ſera demum auxilia quaererentur, partim ab agyrtis ſolum, iisque qui manu ſix mederi didicerunt, aut vana aut incongrua inſtitueretur medicatio. — Saeva haec apud nos & vicinos invaluit & nefanda peſtis, ut cuilibet barbitonſori, empyricove vagabundo remedia interna pro lubitu miniſtrandi, hominesque ſic impune ubique jugulandi plena facultas ſit. Ab his enim pro arbitrio celebratae venaeſectiones, & data παρὰ καιρὸν que ſupra infraque purgarent medicamenta, plures certe occiderunt, quam ipſa morbi violentia peremiſſet. „ Indomita enim ſymptomatum ſaevitia non a venenoſa ſemper morbi „ indole, ſed a therapia perperam inſtituta proficiſcitur; dum ad morbi ſolutionem a natura „ deſtinatam, non ſatis attenditur, ſed alia medendi ratio temere inſtituitur: Hinc perturbatur totius corporis oeconomia, ac omnibus „ ſusque deque verſis, non modo triſtiſſima eorum „ facies ultra conſuetum morbi morem inducitur; „ verum motbus jam a ſe ipſo alius, aliis etiam „ anomalis accidentibus, velut alienigenarum ſatellitio ſtipatur. " Sunt verba *Sydenhami* de

 Morb.

riam. Pulſus in hac vix a naturali alienus obſervabatur, ſummaque morbi blandities praeſentiſſima pericula abſcondebat. *Barcker Obſervations on the preſent epidemical feaver.* Lond. 1741.

Morb. Epid. c. II. — Sed is plebeculae noſtrae ruralis antiquus mos eſt, ut primum morbi ſtadium vel anus regat, vel hiſtrio, alterum tonſor, quod reſtat Doctoribus ſic dictis relinquitur. Fuerunt inter hos nonnulli, (piget dicere) qui velis & remis morbo occurſuri, ne quid in θείᾳ hac lue inexpertum relinquerent; tria ſpoliarent naturae regna, omniaque adhiberent combinata, quae occidens cum oriente alit medicamentorum genera. Verbo, agerent ſic, ut legiſſe, quod apud *Plutarchum* quae conv. L. IV. q. 1. invenitur conſilium juraſſes: ut ὁμοῦ μεταλλικὰ καὶ βοτανικὰ καὶ θηριακὰ καὶ τὰ ἀπὸ γῆς καὶ θαλάττης in unum conjungerent. Formulas hujus farinae addere poſſem, ſupra decompoſitorum pharmacorum monſtra, veraeque farraginis illuſtres normas; ubi

Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis.

ni tempori parcerem, parcerem operae & lectori.

§. XVI.

Omnis ſexus, omnisque vitae conditionis hominibus infeſtus aeque videbatur hic morbus; planeque ἀπροσωπολήπτης aequo pulſabat pede pauperum tabernas nobiliumque turres: Mollioris tamen conſtitutionis homines adoriebatur magis, quam firma aratorum ilia. Sexus idcirco ſequior annique juveniles inſultibus ejus patebant magis ac corpora exſucca ſenilia (b): Progreſſu tamen temporis

(b) Notavit hoc in genere circa miliares febres cl. *Allion*

ris nulli pepercit, ſaltem in epidemiae ἀκμῇ. Inter hos alii levius, alii gravius aegrotabant. Periculoſa imprimis puellis haec lues erat, nubilibus; tam contagii ipſius, quam eventus ratione. Aetas enim haec vivida, agilis, activa, impetuoſa, impatiens, febribus hujusmodi aeſtuantibus patet & periclitatur magis quam firmiores jam anni (bb). Accenſeri his poſſunt & viri juvenes ſanguinei; in his enim partium ſolidarum textura laxior, fluidorum abundantia, eorundem citior exaeſtuatio, majorque proclivitas ad bilioſam corruptionem. Maximum tamen ſexui imminebat periculum, dum vel fluente, vel vix jam ſoluto lunari tributo invaderentur. Perpaucae ex his in morbi principio Libitinae ereptae.

Levius aegrotabant morbo hoc miliari infantes infra quinquennium: his enim vomitus, ſtatim in principio morbi natus, & per totum morbi decurſum ſaepe continuus, ſaluti fuit: Hinc ex his aetatulis deſiderati pauci, niſi quos ſuperato feliciter hoc morbo, tuſſis dein convulſiva, vel lenta febris opprimeret.

Ruri, ſi quem occuparet, ferocius inſtitit; hoc enim hominium agreſte genus victu duro & diffi-

lion aliique, qui ex profeſſo de hoc morbi genere egerunt: Imbecillam autem corporis conſtitutionem, ut cl. *Hamilton* vult, morbo hoc prae aliis infeſtari, experientiae, & in noſtro caſu, contradicit.

(bb) Idem obſervavit cl. *Fuchſius* in Act. Phyſ. Med. Nat. Cur. Vol. II. obſ. 146.

ciliori vivit; lardo rancido, carnibus bubulis vel ſuillis, fumo, vento, ſale duratis, vix non ligneis; Olus ipſorum ſolani tubera, braſſica nigra & capitata recens v. ſale condita, allia, cepae, idque genus alia ſunt: aqua inſuper ſaepe impura & ſqualida ſatiatur, improboqne labore, jam ſub torrente terram Sirio, jam in aëre vappido, humido, putri, jam inter nives aliasque brumae injurias, rigidum corpus fatigat: unde impuros ut plurimum, & corruptioni cito obnoxios generat humores: hinc ſi morbis hujusmodi putridis corripiuntur, pejus ubique habent. Ipſa autem haec vivendi ratio ad generandum hunc morbum nihil contribuit; dum aeque illi, qui Martio, quam qui Secalino pane nutriebantur qui Bacho Hiſpanico vel Ringavienſi; quam qui ſimplici aqua fontana ſatiabantur, aegrotarent.

Notaſſe quoque hoc loco juvabit, quod Zephyrus huic morbo & plenilunia plerumque inimica fuerint: Sic ut laborantes jam hoc morbo gravius tunc temporis decubuerint; reconvaleſcentium plenaria reſtitutio tardius ſucceſſerit (c).

§. XVII.

(c) Idem hoc in peſtifera illa, quae praeſenti hoc tempore animalium cornigerum genus infeſtat, lue, confirmavit experientia, ut nempe creſcens luna, ad plenilunium usque, omnibus hoc morbo correptis, infelix; ipſum autem plenilunium, laborantibus jam pecudibus fatalis obſervetur. — Mr. *Navier* illuſtris pariſienſium medicus, ſui

tempo-

§. XVII.

Forte fortuna, familiae amor, vicinorumque curioſitas circa hoc tempus detexit id, quod medentibus huc usque in vivo vidiſſe nondum obtigerat. Maculis rubellis ſubcoeruleis effloruiſſe defuncti cadaver videt confluens lugubris turba; ſicque prima per viciniam ſpargitur de latentibus ſub ferali hoc morbo petechiis, percellens hiſtoria. Haec potiſſimum periodus fuit, ob exhibita ab empyricis, medicantibusque vetulis, alexipharmaca & ſudorifera calidiora, tincturas bezoardicas, theriacales &c. inſigniore hominum ſtrage notabilis.

§. XVIII.

temporis (vid. Not. ad §. IX. lit. u) Epidemiam, pecorum lui analogam credit; quin ex pecorum morbo contagium in homines tranſiiſſe ſymptomatum ſimilitudine adductus cenſet, & ſi revera boum aegrotantium rationem cum noſtra Epidemia comparemus; Cur ſententiae *Navieri* omnino contradicamus, non video. Efflorescunt quippe tertia vel quarta die in bobus pariter ac hominibus exanthemata, eadem illis accedit diarrhaea putrida, faucium inflammatio eadem, idem delirium, eadem materiae acris, mucoſae, ex naribus evacuatio, ſanguinis eadem diſſolutio putris, judicantur ſimiliter quinta & ſeptima die. Pariterque & mortua pecora, Omaſum Abomaſum & inteſtina inflammata monſtrant. Neque infelix omnino fuit, tentata jam, analogo modo, per acida, nitroſa, laxantia lenia, in affectis communi hac labe vaccis cura. Saltem omnibus huc usque tentatis praeſtant; ſimplicique hac methodo jam plures ſervatae.

§. XVIII.

Tandem Octobri menſe quum coelum magis ſerenum, aërisque temperies prima lunae quadra conſtantior eſſe inciperet, Borea & Vulturno flantibus; morbus hic peracutus & δύσκριτος manifeſta exanthematicae febris nonſolum prodidit ſigna; ſed typum quoque, quantum inſignis hic morborum complicatio permiſit, adoptabat: Tumque in urbe ipſa, haec ejus facies fuit.

Prima & acceſſionis dies inſolitis corporis laſſitudinibus, artuum gravedine, faucium ſiccitate, dolore, rubore & tonſillarum aliquali tumore, pulſu naturali frequentiori, febrili, capitisque dolore tranſibat.

Dies altera. Membrorum praegrave pondus, dolor Capitis gravativus, opprimens, circa occiput, uvulae elongatio, faucium rubedo ignea, inflammatoria, tonſillarum auctus tumor, ſenſusque in collo quaſi morantis deglutitionem corporis duri globoſi, ſitis eximia, febris ardens, pulſus contractus, durus, celer, frequens, ſenſuum hebetudo, corporis jectitatio continua vel ſopor, urina flammea.

Dies tertia. Calor totius corporis urens, praeſertim in volis manuum & plantis pedum, ſine ullo tranſpirationis vel leviſſimo ſigno; dolor capitis major, cum rationis & judicii temulenta quadam ſtupiditate; uvulae cum palato molli demiſſio, tonſillarum tumor, dolor, inflammatio, ma-

jores,

jores, deglutitio impeditior, lingua ſordida inviſcata, dentiumque ſqualores, ſitis, pro ratione affecti capitis, major vel minor, febris exquiſita, praecordiorum aeſtus & anxietas. — Jam circa collum & pectus erythemata prodibant; maculae rubellae primum & diſtinctae, mox ſaturate rubentes & confluxurae. Non multo poſt, in interiori & inferiori parte brachii, circa carpum, eaedem efflorescentiae protrudebantur, ſed tumidulae aliquantum, quales in purpura urticata emergere ſolent (d). Duriusculae hae ſupra cutim eminebant, inſtabiles, prurientes, brevi evanidae, maculas rubras poſt ſe relinquentes. Urina ſaturate rubra, lixivioſa, ſupernatante quaſi oleo rancidum ſpirante, nauſea perpetua, pulſus parvus, frequens, inaequalis, languens, vox rauca.

Dies quarta. Totius jam corporis rubor Scarlatinus, dolor capitis atrox; oculorum rubor, torvusque adſpectus; inflammationis faucium in ſuppurationem tranſitus, deglutitio omnino impedita & quam maxime ad minimum nixum dolorifica, mentis alienatio vel ſtupor, otalgia vehementiſſima intolerabilis, Lumborum dolores fixi, pectorisque

(d) Forte hoc efflorescentiae genus illud fuit, quod *Hippocrates* Perinthi, Epidem. 2. p. 1020. cum febre ardente, diebus promiſcuis, ſeptimo nempe, vel octavo, vel nono, emergere vidit, non quidem criticum, ſed ad criſin usque perſeverans. *τρηχύσματα - - τῶισιν ὑπὸ κωνώπων γινομένοις μάλιστα ἴκελα ἀναδήγμασιν.*

risque ſtrictura dolorifica, pulſus parvus, frequens, celer, inordinatus, intermittens, Urina lixivioſa, bruna, unctuoſa, foetida, nihil demittens, alvus ut plurimum ſtricta, moleſta, Agrypnia perfecta, noctu exacerbatio, cutis ſicciſſima, arida (e). Saepe in hunc quoque diem prima coloris Scarlatini eruptio differebatur.

Dies quinta reliquis plerumque acerbior. Febris excandeſcentia ſumma, praecordiorum aeſtus intolerabilis; vitalium quaſi conſtrictio, oculorum ſcintillatio & ſuffuſus rubor, linguae ariditas & ſordida nigredo, univerſi corporis ardor exurens, exanthematum albicantium, miliarium ex rutilante cute eruptio. Haec ſemini papaveris communis ſimillima, gryſea vel ſordide albi coloris, primo collum, dein pectus, poſt, brachium internum, adhaec inguina, tandem inferiorem femoris partem & crura occupabant. Urina interim bruna manſit, bilioſa; unctuoſa, graveolens, transparens, demittens nihil.

Jam deliria, corporis jactitationes, intermiſſiones & ataxiae pulſuum incredibiles, ſimul cum vagis corpus pervagantibus, afflati venti adinſtar, horripilationibus, aegrum ad extrema usque fatigabant.

Subin-

(e) *Eperodiarum* febres illae periculoſae a. 1742. a menſe Februario ad Julium usque furentes, eadem die quarta, exanthemata ſua protruſerunt, cum pulſu tenſo & parum febrili. Nihilominus ſexta vel ſeptima die, aegrum jam occidebant. vid. *Allion* loc. jam cit.

Subinde eruptio haec quarta quoque die obtinuit.

Dies ſexta. Exanthematum nova epigeneſis, cute adhuc rubente. Febris eadem; mentis alienatio & ſerenitas alternans; deglutitio ob ruptum plerumque in faucibus abſceſſum jam liberior, ſitis magna, transſpiratio ad ſenſus nulla. Pulſus celer, frequens, inaequalis, intermittens. Urina, vini gallici rubri, quem *Pontac* vocant ſimilis. Capitis dolor obtuſus gravativus, narium haemorrhagia ſubinde ſecutus. Artuum, totiusque corporis per cutem dolor punctorius, ad adtactum ita auctus, ac ab infixis aciculis; praeſertim in manibus, ſi adtrectare corpus aliquod durum, ſolidum, lubuerit. Noctes hucusque valde inquietae, inſomnes, turbulentae, pavoribus interruptae, horis diurnis pejores: & ſi quis, per hoc tempus, forte ſomnus fuerit, ſoporoſus, oppreſſivus, delirus, nec reficiens, nec naturalis fuit.

Dies ſeptima. Febris jam mitior & mens magis ſerena; cutis color jam ad naturalem rediens, perſiſtentibus miliaribus, quae ad undecimum vel decimum quartum morbi diem ſaepe ultra; ſucceſſive exſiccantur, & nova progenie facta redeunt. Somnus jam parcus quidem, ſed bonus, naturalis, reficiens. Alvus ſponte fluit; deſquammatur cutis; redeuntque ſenſim perditae & peſſundatae omnino corporis vires (f).

§. XIX.

(f) Notavimus jam in antecedentibus, eadem fere aëris intemperie Morbum illum a. 1750. *Catalau-*

nis

§. XIX.

Saepe ſuperato morbo ulcera corpus defoedant variolacea, magna, pus bonum & copioſum generantia, quod in cruſtas dein exſiccatur. Saepe vari naſcuntur, Anthraces & Ulcera cacoëthes diu affligentia & ſanatu difficilia. Saepe tumor oedematoſus ſeu Leucophlegmatia univerſum corpus occupat, anaſarcam aemulans.

Saepe diarrhaea ſponte naſcitur; maſſae ſanguineae impuritates in ſupplementum quaſi educens.

In nonnullis defluvium capillorum vidi, arefactis, corrugatis & emortuis eorundem bulbis; mon-

niis fatalem, noſtro perſimilem, fuiſſe natum. Huic adjungere hic lubet ex iisdem atmoſphaerae vitiis genitum a. 1747. Pariſiis, morbum ardentem putridum, exanthematicum, miliarem; ab ill. *Malovin* in *Hiſt. de l' Acad. Royale des Sciences* deſcriptum; a cl. *Boyero* feliciter acidis impugnatum. — Eadem haec Epidemia eodem tempore in Americam usque propagata eſt, teſte cl. *Artus* Medico regio in urbe *Cayenne.* — Anno 1748-1749. hujusmodi febris maligna ſcarlatina Anginodes Hagam comitum notante celeb. *Haenio* invaſit. tract. de Febr. Diviſ. VI. §. 2. Morbum quoque anginoſum cum febre eryſipelacea & exanthematica nobis deſcripſit Londinenſium Medicus *Fothergill an account of the Sore-throat attended with ulcers.* In his Scarlatinus color jam ſecunda morbi die ſimul cum exanthematibus effloruit.

monſtrante hoc canitie partis capilli illius, quae radici vel bulbo proxima eſt, monſtrantibus idem perſpicillis.

§. XX.

Haec ſymptomatum ſeries ubi eventus voto reſponderet, adhibitaque cura felicibus avibus perageretur. Verum longe alia in illis ratio, ubi exitus dubius vel ſiniſter prorſus ſequeretur. His jam altera morbi die purpureus corpori color fuit & praecox exanthematum eruptio, primique jam dies ominoſam adeo ſymptomatum monſtrabant vehementiam, ferocisque luis tantam malignitatem, ut animo jam exciderit cum aegroto Medicus, tertiaque jam die in corpore quanquam robuſto, vegeto, juvenili, defecerint fractae jam naturae vires. In his diarrhoea, in aliis vomitus ſeſe manifeſtabant, utrumque ut plurimum ominoſum. Deliria his a primis jam diebus atrocia & conſtantia aderant; labiorum, linguaeque protenſae tremor; oculi protruſi, pulverulenti, ſubinde narium haemorrhagia parca, caput mire opplens. Omnes hi ultra quartum diem raro ſuperſtites fuerunt; praeſertim, ubi urina & pulſus naturali per omnia ſimiles fuerint. Si quartum diem attingerent, in rabiem fere augebatur delirium, ſic, ut in lecto vix continerentur. Exanthematum in his nulla promotio, virium lapſus viſibilis, liquidorum vel promta ingurgitatio, vel horror; ſingultus, Purpurae jam praeſentia, jam fuga. Aucto malo ſtri-

 dores

dores dentium aliaque non obſcura ſpasmorum internorum indicia: Oris, linguae & faucium pumicea ariditas & nigredo; labiorum, praeſertim circa angulos oris incruſtatio ſordida, oculorum torvus adſpectus, crinium putatitiorum ex ore protractio, floccilegium, muſcarumve venatio: Vox tandem rauca, indiſtincta, brevi, ob vitiatam (ut credo) epiglottidem in aphoniam tranſiens, (g) ſtertor, convulſio, mors.

§. XXI.

(g) Ad vocis ſonorae formationem, glottis ejusque rima princeps quidem inſtrumentum ſunt, conſentibus hoc inter plures *Dodardo Ferrein* &c. vid. Mr. *Maloet* Diſſ. de voce humana, à Paris 175. Verum obſervata docuerunt, Epiglottidem ipſam ſonoro vocis clangori, plus, quam creditum fuit, famulari. Cadaver enim forte ſecans foeminae, Lue venerea olim affectae, dein uſu Mercurii ſublimati curatae, per triennium forte poſt expulſum morbum ſuperſtitis; cui ſibila & inſonora omnino loquela ad mortem usque manſerat. In hoc ſubjecto praecipue circa haec φαινόμενα curioſus, velum palatinum cicatricibus quaſi conſutis foedum ubique inveni & inaequale; exeſam, tam quoad membranam veſtientem glabram, quam ipſam ſubſtantiam, marginemque externum, Epiglottidem, quae ubique ſcabra, fere medium conſumta, & quoad reliquum vix mobilis obſervabatur, depravatis quoque inſtrumentis huic parti propriis. Rimulam glottidis ſatis ſanam, neque a ſtatu naturali notabiliter alienam inveni: hinc Epiglottidis ſola depravatio, vocem in hoc ſubjecto exſtinxerat. Ne

deſunt

§. XXI.

En L. B. triſtem exitioſi hujus morbi hiſtoriam, ab incunabilis ad ipſius ἀκμὴν perductam.

Varius quidem hic morbus, ut fieri ſolet, quoad ſymptomata acceſſoria fuit; determinante hanc varietatem vel differentia individui, vel adhibita medela. Quoad eſſentialia tamen hunc maxime typum, quem notavimus ſervavit (h); ubi nec aegri, perverſa voluntas, culpoſumque praegreſſum vitae genus, nec abſurda agyrtarum medendi ratio, naturam, tot tantisque inimicis ſimul laceſſitam, & vix non deſperabundam, aut turbatam, a tramite ſuo, quem alias inſtituiſſet, deflexerant.

Oculato cuilibet facile patebit, principem hujus morbi ſic dictam malignitatem, ſolum a ſanguinis extrema dyſcraſia & a morborum hic confluentium mira complicatione pependiſſe, interrumpente uno alterius criſin & divertente naturam a ſocii ſui adtentiori cura. Hi morbi κατ' ἐξοχὴν illi ſunt, quos δυσκρίτες appellavit antiquitas. Si enim anginam conſideres, propria ſibi

deſunt hic virorum magni nominis ſimilia circa eandem hanc rem obſervata. Sic aphoniam ex ulcerata Epiglottide natam memorat cl. *Hallerus* in Opuſc. Patholog. obſ. 8. — Idem plane obſervavit cl. *Majault* in Recueil periodique d'Obſervations de Medicine Tom. V. anni 1756. menſ. Aug. Art. 2. Forte huc quoque pertinent, quae cl. *Targioni Tozzetti* in iisdem collectionibus periodicis Tom. IV. menſ. Apr. Art. 5.

(h) Patet hoc operte, ex adjunctis opellae huic Obſervationibus clinicis.

febre inflammatoria ſtipatam, huic febrem jungas ſcarlatinam, & purpuram his ſuperaddas, ſaepe utramque; ſingula diverſimode judicanda: Haec, in corpore laxo, irritabiliori; ſuccis craſſis, impuris, corruptis, putridis ſcatente, ſimul conjunge; & ſponte apparebit: cur omnium phaenomenorum extrema anomalia & confuſio? cur criſes, ſi quae, intempeſtae & praecipites? cur nullae completae? cur nihil levaverint? cur indicantium dierum in hoc morbo ubique defectus & adeo difficile praeſagium? Cur ſuperato morbo toties vari, ulcera, anthraces, tumores, febres lentae, diarrhoeae &c. acceſſerint?

§. XXII.

Tertium jam ſupereſt Epidemiae hujus ſtadium; declinatorium. Hoc apud nos ſub Decembris anni lapſi finem & initium januarii a. c. ingruit; quum depoſita quodammodo malignitate & indole adeo contagioſa, modo hunc, modo illum invaderet. Tempeſtas tum frigidior facta, glacie nivibusque notabilis, ventis ut plurimum Vulturno & Borea, ſubinde, ſed rarius tamen Africo & Zephyro flantibus. Jam atypos fere ubique iterum eſſe, nullumque amplius, tam in invaſione quam in ἐκκρίσει totoque ejus decurſu ſervare ordinem; quin potius ſine notabiliori periculo ſtatim vel prima vel altera morbi die purpuram protudere, vel eruptionem ad ſextum, ſeptimum vel octavum diem promiſcue differre. Hoc tamen diſcrimine, ut

qui-

quibus primo jam inſultu febrili ſcarlatinus color efflorefceret, his morbus gravior; Longior autem illis, quibus ſerius erumperet, & levior fuerit: obtinente tamen & hic interdum varietate. Hoc tempore pueri & juvenculae impuberes maxime affligebantur, & qui ex adultioribus jam decumbebant lenius habuerunt. Jam vena in plethoricis ſecta, non quidem vitae, ſed promtiori reſtitutioni nocuit, tumoresque pedum oedematoſos ſublato morbo ſaepe poſt ſe reliquit. Defuit jam in multis ſcarlatinus corporis color, erumpente ſolum purpura rubra. In aliis ſcarlatina eruptio absque purpura obtinuit: praeſertim ubi congrua jam inſtitueretur medicatio. In paucis & ſcarlatina & miliaris eruptio ſimul locum habuit. Subinde febris urticatae ad inſtar efflorefcentiae apparuerunt. In multis ſine notabili febre purpura erupit, mox decidua. Angina omnibus adfuit jam gravior, jam levior, raro ad ſuppurationem promota. Cuticula omnibus ſeceſſit.

Quanquam in hoc morbi ſtadio vix periclitarentur rationali methodo tractati aegri; obiit tamen unus & alter, cui negligentior medicatio adhibita fuerat. Inter quos & Medicus hujus urbis fuit, quem ſocors adhibita cura, medicationisque vilipenſo morbo neglectus, praematurae libitinae eheu! prodidit.

§. XXIII.

Ex ante dictis abunde jam liquet, morbum

hunc ſerum, vel lympham acrem corruptam, minima corporis vaſa, nervorumque telas irritantem, rodentem, oppilantem pro prima materiali cauſa agnoſcere (i). Haec vel vi vitae actuoſae, vel accedente fermento ſeu miasmate contagioſo (k), vel aliis jam ante memoratis cauſis externis mota, febrim incendit, humorum vitiatorum indoli relativam, ardentem, malignam, aeſtuantiſſimam, liquidorum univerſam maſſam intra breviſſimum tempus fundentem (l) quin putridam (m) alca-

(i) Hinc catarrhalis malignae quoque typum quadantenus in principio videbatur aemulari, ſaltem ratione exacerbationum veſpertinarum, nocturnarum, criſium difficultate, ataxia &c.

(k) Summam hujus morbi naturam contagioſam praeprimis in morbi vigore, docuerunt elata ſubinde ex una domo tria funera; ſuſceptusque ſaepe, vel ab unica viſitatione, vel a ſola contrectatione, morbus.

(l) Diſſolutiſſimam ſanguinis craſin nonſolum coccineus & dilutus maxime hujus humoris, vel arte vel ſponte evacuati color, ejusque tenuis & vix concreſcens natura, ſed haemorrhagiarum etiam frequentia, promta materiae expoſitio, ipſa efflorescentia ſcarlatina, aliaque hic non memoranda morbi ſymptomata demonſtrant.

(m) Putridam humorum corruptionem celer confirmat ſolidorum in necroſin tranſitus, virium praeſentiſſimus lapſus, dejectus animus, diarrhaeae putridae, pulſuum languores & intermiſſiones, cadaverum citiſſima putredo, ſanguinisque putridi foeditiſſimi ex ore & naribus poſt fata effluvium &c.

alcalinam (n) bilioſam (o) corruptionem in ea generantem. Unde continentium vaſorum, praeſertim teneriorum & ex his compoſitorum partium corporis nobiliorum, cita inflammatio (p), gangraena, ſphacelus.

§. XXIV.

His itaque quoad morbi hiſtoriam cognitis, operae pretium erit, ut & ea, quae quoad progno-

(n) Alcalinam acrimoniam, aeſtus corporis mordax, intolerabilis, ſitis inexhauſta, nauſea, vomitus bilioſus, capitis dolores eximii, hebetudines, deliria fixa, odor ipſe, & mirum, per totum morbum ex acidis allevamentum, ante omnia probant.

(o) Affuſam ſanguini, exaltatam corporis caloribus & ſolutam bilem, urina lixivioſa bruna, vere icterica chartas & lintea tingens inſtar omnium indicat.

(p) Inflammationes partium nobiliorum, cerebri, ejusque meningum, ventriculi, inteſtinorum, citata jam ſaepius in hiſtoria morbi ſymptomata evincunt. Et ſi ab analogo illo Lucenſium morbo Epidemico maligno exanthematico, ad noſtrum concludere fas ſit; aperta a cl. *Benvenuto* defunctorum ex memorata illa febri cadavera, meninges, ventriculum & inteſtina inflammata, colon gangraenoſum, ſphacelatum hepar, & corruptum omnino meſenterium (vid. memorati *Benvenuti* Diſſ. hiſt. Epiſt. ad Jac. Barth. *Beccarium*, anno 1754.) exhibentia, ſimili quoque clade in Epidemia praeſenti corpus noſtrum affici debere ſuadent.

ſin experientia & fida obſervatio docuit, ex paſſim jam notatis, adjungamus (q).

Quo citius ſcarlatinus color erupit, eo periculoſior morbus; praeſertim ubi purpura ſimul emerſit: his ut plurimum vel tertia vel quarta dies fatalis fuit.

Quibus purpura alba ante rubedinem effloruit, his quarta die purpureus ex coeruleo color cutim tingebat, eademque die, poſt convulſiones internas mors.

Color ſcarlatinus in purpureum vel violaceum tranſiens, malus nuntius.

Ambulatoria exanthematum natura, dum mox emergerent, mox iterum recederent, ubique periculoſa.

Productorum exanthematum major vel minor copia, morbum nec leviorem nec periculoſiorem fecit.

Quibus ab inflammatione gutturis abſceſſus natus eſt, hi emerſere ut plurimum.

Contra, quibus circa tertium vel quartum diem dolor faucium ſponte ceſſaret. Hi peſſime habuerunt.

Natus in principio morbi, ſaltem tertio die ptyaliſmus, morbum inſigniter levavit.

In

(q) Prognoſtica haec ſolum ad morbi ſtatum pertinent, cum ante hanc periodum, ipſa luis irregularitas, certum quid praedicere impediverit: poſt illam autem a vehementia ſua multum remiſerit.

In infantibus profluens ex naribus ſerum copioſum acre, morbo ubique profuit.

Vomitus a morbi principio natus & conſtans praeſertim bilioſus, in adultis ominoſus fuit & plerumque lethalis.

In infantibus, ceteris paribus, vomitus materiae tenacis, viſcidae, pituitoſae, inſigne adtulit allevamentum.

Diarrhoea circa tertium diem ſponte nata, mala fuit; tardius nata, bona.

Urina bruna, lixivioſa, ſaeviente morbo, bona.

Urina citrina cum levi enaeoremate inſtar ſaniſſimae, peſſima.

Urina hypoſtatica, bonis ſignis juncta, bona: malis autem ſocia, malum tulit praeſagium; ſemper anceps fuit.

Fluentes copioſi menſes ſaluti fuerunt; ſed menſtruationis inde dein nata ἀταξία.

Pariter & copioſa narium haemorrhagia, ſi vel ſtatim in morbi principio, vel ſexta aut ſeptima die eveniret.

Eadem haec parca, emergentium exanthematum comes, ominoſa: auctis ad caput congeſtionibus.

Quae fluentibus adhuc catameniis vel ſtatim poſt ſolutum hoc lunare tributum infeſtabantur, raro ſervatae ſunt.

Pulſus plenior, mollis, ordinatus, & relative tardior, praeſertim tempore delirii, fatale ſignum.

Pulſus parvus, contractus, intermittens, inciduus, huic morbo fere proprius, nihil adeo mali praeſagiebat; neque tamen criſium (ut eſſe ſolet) in hoc morbo nuntius fuit; quippe qui ad deſiccationem, ipſaeque cuticulae deſquammationem usque maneret.

Idem pulſus parvus, intermittens; ſi in infantibus obſervabatur, verminoſae ſaburrae praeſentiam arguebat.

Lingua pallida, flaccida, & tremula, dum porrigeretur, mortis nuntia.

Cruſtulae nigrae ad angulos oris natae, labiorumque ſqualores plerumque lethales.

Diarrhoea bilioſa ubique periculoſa.

Alvus ſiccior tuto ſolvitur.

Delirium leve, incipiens, curabile.

Confirmatum & pertinax, difficile & anceps.

Poſt eruptionem plenariam non ceſſans, lethale.

Rigiditas, quarta die, poſt erupta exanthemata naſcens, calamitoſa.

Habitus, puellarum praeſertim, inverecundus, ut plurimum lethalis fuit.

Aphonia, poſt delirium, lethalis.

Singultus convulſionum praecurſor.

Quibus ſuperato morbo tuſſis convulſiva accedebat, hi periclitabantur de vita.

Quibus poſt profligatum morbum, nec a natura, nec ab arte alvus laxa fuerat; his facile vel ulcera, vel tumores frigidi enati.

§. XXV.

§. XXV.

Sequitur jam, ut ad illam tranſeamus opellae hujus partem, in qua cardo totius vertitur; ad inſtitutam hujus morbi curam.

Antequam autem ad ſpecialiora transeamus, neceſſum maxime duxi, ut generalia quaedam ſcitu apprime neceſſaria praemittam.

I. Si unquam, certe in hoc morbo aurea valet illa & medica & moralis regula: *Principiis obſta.* Raro mihi admodum licuit eſſe tam felici, ut primo morbi ſtadio jam adeſſe potuerim. Ubi dabatur; raro divinis ſub auſpiciis ſpem medicatio fefellit. Aſt plerumque vulnerata demum cauſa arceſſimur, triſtis mox aperiundae ſcenae vacui ſpectatores. Occultat in principio ὀλέθριον, quod gerit virus malitioſa & ſubdola lues: Dum pericula monſtrat, nutant jam & ſidunt vitae fulcra & conclamata jam res eſt.

II. Exulent omnia, quae turbas in corpore moliuntur remedia activiora, heroïca. Haec ſanguinis orgasmum & ebullitionem augent, auctoque liquidorum motu & exaeſtuatione, eorundem corruptionem accelerant, ſalia evolvunt & exaltant, olea acuunt, terrea praecipitant; hinc ſtaſes & inflammationes producunt, augent, indiſſolubiles demum reddunt.

III. Ge-

III. Generalem ſibi in toto hoc morbo curando regulam proponat medicus, qualemcunque hic ἔκκρισιν, utpote non criticam, ſed mere ſymptomaticam, nec directe per adhibita medicamenta, nec indirecte per praeſcriptum regimen promovendam aut fovendam; docente evidenter experientia. α) Omnem hic eccriſin diebus vagis, aeque criticis quam vacuis fieri. β) Symptomata materiei expoſitione ne hilum quidem levari. γ) Potius ſubinde exacerbari. δ) Puſtularum miliarium effloreſcentiam medicamentis adaequatis nonſolum ſine noxa, quin potius cum ſucceſſu reprimi poſſe. ε) Parciorem vel copioſiorem exanthematum expoſitionem, morbum nec leviorem, nec deteriorem facere. ζ) Saepe optime conſtituta eccriſi, purpuraque laete florente, aegrum nihilominus perire. Hinc cane & angue pejus vitanda alexipharmaca calidiora, bezoardica fixa, theriacalia, verbo, omnia illa, quae ſub ſpecioſo expellentium titulo veniunt. Ab his enim perperam adhibitis, in morbi progreſſu angores enormes, praecordiorum aeſtus, deliria, convulſiones, morbique totius perturbationes ſolennes plus ſemel vidi.

IV. Regimen ipſum moderatiſſimum ſit. Temperies in conclavi, frigidiuſcula potius quam calida ſervanda. Conclave ipſum amplum ſit, ſi detur, altioris contignationis, perflabile,

bile, renovando aëri aptum (r). Stragula levia ſint, non gravantia, nec plumea, ſi fieri poſſit, ſed cotonea, vel lanea mollia, quae transſpirationem tantum inſenſibilem foveant, non ſudores eliciant. Morbus enim hic ſudoribus nunquam judicatur; potius pectoris oppreſſiones a nimia tegumentorum mole

(r) Neceſſariam maxime aëris renovationem in Noſocomiis vel aegrotorum cubiculis, nonſolum ſana ratio, verum Obſervationes quoque medicae confirmant. Ut in praeſentia jam de aliis taceam, bina ſolum hic adducam virorum magni nominis teſtimonia. Inter haec primum erit, quod cl. *Du Hamel* refert: ſolum ob hypocauſtorum ſqualores, locorum impuritatem aërisque deficientem renovationem, in famoſo illo Pariſienſium Noſocomio (*hôtel-Dieu*) raro admodum ſuccedere inſtitutas ibi quanquam ab exercitatiſſimis viris curas. Alterum ſolènne illud & notàtu dignum cl. *Haenii* teſtimonium eſto, in tractatu ſuo pereruditoꞏde febribus datum. „ In Noſocomio, inquit, fratrum miſericordiae, frequentia febrium exanthematicarum & miliarium infami, ad annum 1758 usque, inter centum ibi aegros qui acutis morbis decubuerunt, horum triginta, exanthemata paſſi ſunt. Aſt quum a ſalubrioribus conſiliis imbutis medicis, jam aëris frequens renovatio, locorum lectique nitor, regimenque moderatum fuerint adhibita, per integrum biennium ſex tantum aegri purpura laborarunt, numerusque ex acutis morbis mortuorum jam una quinta cum dimidia imminutus eſt, Conf. Libr. de Febr. Cap. I. §. IV. p. 77.

mole naſcuntur, ipſaque exanthemata, excubata ſic, maligniorem induunt naturam. Quotidie, ſi vires id conceſſerint, aegrotum e lecto ſurgere vel ferri jubeat iater, ut renovationi lecti locus detur; memor moniti illius *Sydenhamiani*, quod in ſcedula ſua monitoria dedit: *Aegrotos jugem in lecto decubitum quantumvis leviſſimis ſtragulis cooperti fuerint, non ſine magno ſui periculo ferre.*

§. XXVI.

Ad curae generalia a practicis illa quoque cenſentur, quae evacuandi ſcopo adhibentur remedia. Ventriculum ſic per os evacuant ſimulque ſummam duodeni partem & bilis communem ductum emulgent Emetica. Inteſtinorum craſſamenta ejiciunt Laxantia: ex quibus ſanos quoque corporis noſtri humores in tabum putridum ſolvunt & per alvum exturbant ita dicta Purgantia, draſtica. Sanguinem ſincerum evacuat Venaeſectio vel Scarificatio. Serum acre, Veſicatoria; liquidaque hoc ſubtiliora expellunt ſudorifera. Quaeritur ergo: An? quae? & quando? hic applicanda.

§. XXVII.

Quoad Vomitoria. Haec in morbis exanthematicis, ſubinde, praeſertim ubi de haerente in villis ventriculi tabo corrupto, vel miasmate contagioſo

tagioſo ſuſpicio adeſt, indicantur: & non ſine fructu a Wratislavienſibus, Berolinenſibus, aliisque medicis v. gr. celeb. *Pringle*, *Brendel*, *Huxham*, &c. in hujusmodi Epidemiis adhibita ſunt; quin ipſe horum auctoritate, medicamentique ſucceſſu frequenti, inductus, noſtrae quoque lui emetica oppoſuiſſem: niſi infauſtus & ubique ſiniſter vomitoriorum adhibitorum effectus me deterruiſſet, egoque alienis periculis cautior, ex nocumentis documenta ſumſiſſem. Contraindicant quippe huic evacuationi in noſtro morbo ſubjecta quae morbus ſola aggredi ſolet plethorica, mobilia, & faciles ad caput ruentes ſanguinis congeſtiones. Vetat hanc quoque evacuationem porro *noſtra* Angina (s) & naſcens ex violenta hac corporis ſucceſſione virium per ſe caducarum citior projectio, liquidorum major exaeſtuatio, impetuoſior febris. Tandem ſponte cadebat; dum (ut fieri ſolebat) tertia demum vel quarta die, furente jam inſigniter febre, medicus accerſeretur. His ſub circumſtantiis nunquam vomitoria dedit *Hippocrates*, niſi ubi materies ita turgeret, ut plane ὀργᾶν cenſeretur (t). Quid autem proprie per materiae turgeſcen-

(s) In funeſta illa Gallorum Anni 1748-1749. angina gangraenoſa, cl. *Boulaudus* Vomitoriorum ex tartaro ſtibiato uſum, & ſi requiratur, repetitum pluries, ſuadet.

(t) Hippoc. Libr. de Purg. ſeu *Fragm. Heum.* Caſus illi oppido rari ſunt, in quibus aut emetico, aut purgante initio acutorum uti oportet.

geſcentiam intelligendum ſit, concinne *Galenus* notat: ὅταν ἐν κινήσει σφοδροτέρᾳ γενόμενοι, καὶ μεταῤῥέοντες ἀπὸ μορίων, εἰς μόρια, κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ νοσήματος ὀχλῶσι τὸν ἄνθρωπον, ἀλγοῦντες, καὶ ἀσῶντες, καὶ γαργαρίζοντες, καὶ ἡσυχάζειν οὐκ ἐπιτρέποντες. Et ne tum quidem in morbis acutis malignis emetica adhibuerunt *Foreſtus*, *Lommius*, *Sennertus*, *Riverius* &c. Conſpirant cum his, neotericorum circa vomitoriorum in acutis morbis uſum, obſervata. Sic cl. *Tiſſot* inter cauſas morborum gentis ruſticae, memorat quoque vomitoriorum vagam in morborum initio propinationem, (u). Notavit inſuper vomitoriorum novicum & lethalem ſaepe uſum in Morbo epidemico maligno exanthematico, qui Hungariam a. 1713. vaſtavit cl. *Genſelius* (v). Summam ex adhibitis emeticis noxam in epidemia per Bohemiam graſſante anno 1759. & 1760. obſervavit ill. *Mac-neveu o* Kelly in epiſtola ad celeb. *de Haen* ſcripta: Quinimo illis quoque noxium fuit emeticum, in quibus vomituritiones hoc evacuationis genus indicare videbantur. Peſſimum eorundem effectum in morbo a. 1683. Pannoniam devaſtante petechiali induſtrius

(u) *Avis au Peuple ſur la Santé* Cap. II. Tantum abeſt, inquit, ut in pleriſque, inprimis inflammatoriis morbis bonum effectum exſerant vomitoria; ut potius motum humorum intendendo, fluidiſſima ſanguinis diſſipando, ſumma producant mala, mortemque non raro maturent.

(v) Vid. ejusdem Conſtitut. Epidem. infer Hungar. a. 1713.

ſtrius *Loew* notavit (w). Haec, de Vomitoriis, quid in hoc caſu ſtatuendum ſit, ſatis determinant (*).

§. XXVIII.

Purgantia per alvum, quamquam non quidem tantas in corpore turbas moliantur, ac illa, quae ἄνω purgant: cautus tamen eorundem uſus in hoc morbo ſit, oportet. Vitentur omnia hujus claſſis medicamenta; quorum activitatis ſpaera ultra primae digeſtionis organa extenditur. Abſint fortiora, draſtica, ſolventia; etiam in morbi principio. Jubet circumſpectum hunc & cautum medicamentorum purgantium in morbis acutis uſum, reverendus noſter ſenex? dum Aphorismo 24 libr. I. hoc remedii genus, in principiis acutorum, *raro*, *&* *non niſi diligenti prius adhibita cautione* adhibendum monet. †) In uſum tantum vocentur laxantia blanda, rhabarbatina, caſſiata, vel tamarindinata, idque, ſi de primarum viarum cruditate conſtet, prima ſtatim die (**). Repeti haec non-ſolum

(w) v. Ephem. Nat. Cur. ejusd. ann. quibus conf. quae ibid. ann. 1704. 1705 & 1730 circa Vomitoriorum uſum fuere obſervata.

(*) Invaluerat nihilominus adeo inter medicantes per viciniam noſtram tonſores, emetica miniſtrandi mos, ut ex plebecula rurali, hoc morbo correpta, cui emeticum datum non fuerit, fere acceſſerit ad me nemo.

†) Conſuli hic meretur cl. *Neucranz* de Purpura c. 25 & 40. nec non cl. *Camerarii* Diſſ. de nequitia febrium.

(**) Hippocr. Libr. II. aphor. 29.

nonſolum poſſunt, ſi ſymptomata hoc juſſerint, omni morbi tempore; verum obſervata quoque docuerunt, (*vide ſis caſus huic tractatui adnexos clinicos*) exhibita cum grano ſalis memorata jam remedia laxantia, lenia, acidula, nonſolum magna tuliſſe ad debellandum cardinalem morbum auxilia, ſed ipſam quoque miliarium eruptionem moderaſſe, minuiſſe, eorumque nimiam efflorescentiam potenter praecaviſſe. *) Quod ſi autem nimis fractae jam corporis vires medicamentum tale ore ſumendum vetent; indicantibus nihilominus alvi ſolutionem circumſtantiis, enema emolliens cum fructu injicietur.

Dolendus certe enematum in morbis acutis nimis parcus & infrequens hucusque uſus.

Confirmant ea, quae circa purgantia fortiora dicta jam ſunt, illuſtria exterarum quoque epidemiarum exempla. Sic notante cl. *Oliphant* (x) epidemicae illae urbis Gambroon febres, evacuantia hujusmodi fortiora nunquam admiſerunt. — Noxia admodum purgantia omnia activa in Rhotomagenſium febre maligna miliari anginoſa anni 1743 deprehendit cl. *le Cat* (y). — Febrim epide-

*) Confer, quae *Brendel* de ſeriori evacuantium uſu; quae *Gmelin* in Diſſ. de primis viis ut fonte plurimorum morborum, Tubingae 1761. quae tandem cl. *vanSwieten* in Comment. in aphor. Boerh. tom. 2. p. 399.

(x) v. Medical Obſervations and Inquiries, vol. I. art. 8.

(y) Philoſophical transactions, vol. XLIX. part. I. art. 15.

demicam, malignam, Senogalliae a. 1759. evacuantibus fortioribus exacerbatam memorat M. *Vage* ad cl. *Brocklesſby* (z). Verum, quod ad blanda laxantia pertinet: inſignis eorundem in febribus exanthematicis vis medicatrix une ore depraedicatur. Exemplo ſit febris illa miliaris, epidemica, maligna, Londinenſium a. 1754 cui nihil magis prodeſſe obſervabatur, quam leniora laxantia, rhabarbarum, manna, cremor tartari, &c. ad 8 vel 10 dies adhibita (a). In febribus Pariſinis malignis anni 1748, eximiam opem tulerunt remedia leniter alvum ducentia, teſte ſaepius jam citato cl. *Malovin* (b) — In morbo illo, a Mr. *Bellot* deſcripto putrido, Picardis *Suëtte* vocato, ſuderifero, exanthematibus miliaribus ſtipato, Pariſiis aeque moleſto, cl. *Boyerus*, eo quod exanthemata haec critica non eſſe, ſed acceſſoria ſolum putaret materiam hanc, cutim corporis laceſſantem, per glandulas inteſtinales (eodem modo uti materiam variolaceam tractabat) eliminandam ſtatuit, & quidem cum ſucceſſu (c). Haec de Purgantibus ſufficiant.

(z) Medical Obſervations and Inquiries, Lond. vol. II, art. 21.

(a) the Gentleman's magazine and hiſtorical Chronicle, vol. XXV.

(b) Hiſtoire de l'Acad. Royale des Sciences à Paris, a. 1748.

(c) *Malovin* loc. jam citat. ann. 1747.

§. XXIX.

Sequitur Venae Sectio. Si unquam, certe in praeſenti morbo, promiſcuus & inconſideratus venae ſectionis uſus largam morti meſſem fecit, maxime, cum ex vulgi hic opinione, mortuus ſine ſecta vena, non ſecundum artis regulas obiiſſe credatur. Ruſtica inſuper gens, quam vel ſocors cunctatio, vel curta domi ſupellex, vel innata corporis ſui negligentior & tralatoria cura morbum hunc in principio vilipendere fecerat, haec cum violentiam morbi dein experiretur, altera, tertia, quarta die ad phlebotomiam, quaſi ad ſacram ancoram confugiebat, celebrataque hac ſatis larga, multo citius & certius ſuccubuit. Profecto, licet infelices phlebotomiae eventus in analogis morbis ignorarentur, licet experientia triſtis, funeſtique tentatae ſaepius hujus evacuationis exitus non oblatrarent, ipſa jam febrium exanthematicarum epidemicarum natura, ſanguinis artificialium ventillationum impatientiſſima, evacuationes has ſatis diſſuadet. Hinc cl. Viennenſium *Stoerkius* (d) graviſſimis ſolum accedentibus & ſonticis cauſis (quas in hujusmodi morbis rariſſime contingere notat) ad incidendam venam movetur, ob maxime inde imminutas aegrorum vires & ob longe tardiorem aegrotorum reconvaleſcentiam.

Conſi-

(d) Obſervationes circa morbos acutos & chronicos, a. 1759.

Conſideranti porro, ſanguinem hic non tam quantite ſed qualitate potius acri, alcalina, putrida, diſſolutoria peccare; viresque vitae morbo ſubigendo per ſe jam pene impares, detracto hoc vitali liquido promtius peſſundari; patet facile, hoc evacuationis genus plus damni, quam commodi praeſtare, morbumque ipſum, (quod ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ notavimus,) ſi non lethalem, ſaltem multo atrociorem & longiorem ubique reddere debere.

Conferri modo dictis poterunt cl. *le Cat* obſervationes circa Venaeſectionis in morbo miliari uſum (e), nec non *Francis Home* deſcriptio morbi miliaris caſtrenſis a. 1744. Gandavi furentis: in hac ex omnibus, quibus Secta Vena fuerat, ne unum quidem evaſiſſe refert (f). Similiter Venaeſectionibus indiſſolubilem quoque notat Senogalliae malignam febrim, laudatus jam *Vage* in lit. ad S. *Brocklesby* (g).

§. XXX.

Veſicantia ſequuntur. Medicamenti externi genus, activum, potens; variis corporis locis pro renata applicari ſolitum. Adhibentur tam revulſorio quam evacuatorio ſcopo: tertius accedit, humorum correctorius. In priori caſu nervorum ir-

D 3 retis-

(e) Philoſophical transactions vol. XLIX. part. I. art. 15.

(f) Medical Facts and Experiments part. III. p. 97.

(g) Medical Obſervations and Inquiries, l. c. p. 269.

retiſmos ſolvunt, ſicque pericula, quae vitalibus ſaepe viſceribus imminebant feliciter antevertunt. Hinc in Phrenitide, (h) Epilepſia, (i) Mania, (k) Cordis palpitatione, (l) febribusque intermittentibus uſui ſunt (m), &c. Evacuatorio ſcopo, locis ipſis adfectis ad educendum acre illud, quod nervos irritat, ſerum, applicantur: hinc doloribus Rheumaticis, (n) Arthriticis, (o) Podagricis, (p) Pleuriticis (q) medentur.

Ter-

(h) *Rollfinc* Meth. Cogn. & cur. part. C. H. aff. p. 14.

(i) M. A. N. C. dec. I. ann. 9. & 10. obſ. 14. referente *Poliſio* Conf. *Rollfinc* de Epilepſia it. *Dolaei* Encyclop. Med. p. 135.

(k) *Sennerti* Prax. Libr. I. P. 2. cap. 26. it. *Caſimir Medicus* Medicinische Sammlungen.

(l) *Sennert*: loc. cit. Libr. 2. part. 4. cap. 4.

(m) *Etmüller* Tom. I. p. 298. Tom. II. p. 1423. *Dolaeus* loc. cit. p. 821.

(n) M. N. C. dec. I. ann. 9. & 10. obſ. 34. cephalaeam graviſſimam impoſito capiti toti Veſicatorio curatam, refert *Ludovici*. Dentium dolores applicata Veſicatoria itidem ſolvunt.
bis adhibitorum uſum depraedicat *Caſ. Medicus*.

(o) In doloribus Iſchiaticis inſignem Veſicatorium lum-
S. deſſen Medicinische Sammlungen. It. M. N. C. dec. I. ann. 2. p. 316.

(p) Curatos Veſicatoriis podagricos memorat laudatus jam *Ludovici* in M. N. C. dec. I. ann. 9. & 10.

(q) In Pleuridite applicatas lateri Cantharides maxime Commendat. cl. *Brendel*; quibus ſetacea & fonticulos ſuperaddit cl. *Pringle*.

Tertio ſcopo correctorio, in morbis ſeri, vel viſcidi, vel acris, vel corrupti, ad varia Corporis loca decumbentis, laudantur. Hinc in morbis (r) capitis & pectoris ſeroſis, (s) in morbis acutis, (t) exanthematicis, (u) malignis, (v) &c. in auxilium vocantur. Saepe plures ſimul fines Veſicatoriorum applicatione ferire ſatagit medicus: id quod in noſtro quoque morbo medenti feliciſſime licuit; ubi triplici huic indicationi ex aſſe ſatisfaciebant adhibita Veſicantia. Sed de his vide quae ad §. XXXIV. infra dicentur.

§. XXXI.

Tandem ſudorifera. Commune & quotidianum quidem, ſed noxium ſaepe medicamentum;

(r) Inter hos praecipue vertigini, apoplexiae, lethargo, caro, comati conveniunt.

(s) Vim Veſicantium correctoriam, in viſcido pectus opplente ſero, confirmant *Williſius*, *Muys*, *Wedelius*, alii. Expectorationem per ea promoveri docent quotidiana experimenta. Hinc omnibus pectoris morbis Veſicatoria adhiberi jubet *Fienus* Libr. de Cauter. cap. 2.

(t) *Morton* Tom. II. p. 186. qui tamen in morbis acutis promiſcuum illorum uſum graviter reprehendit, it. *Thonerus* libr. I. obſ. 20.

(u) *Morton* l. c. p. 40. *Williſius* Pharm. rat. p. 273.

(v) *Hoeferus* in Herc. med. p. 282. Act. Hafn. vol. III. obſ. 44. In Peſte ipſa teſtibus cl. *Guldenklee*, *Septalio*, *Maſſaria*, *Sennerto* &c. cum fructu adhibentur.

ſi cuilibet morbo, ſine diſcrimine, ut ſolet, adhibeatur. Exanthematicis praeſertim & acutis morbis, venenum potius quam pharmacum: Exanthemata creans, non minuens: acuens, non curans. Obtinet in morbis omnibus exanthematicis obſtructio vaſorum minimorum arterioſorum exhalantium cutis, nata a corruptis humoribus, ad cutis colatoria deſtinatis, ſed non omnino illuc penetrantibus. Omne ergo illud, quod obtinente jam ſanguinis dyſcraſia, hujusmodi obſtructiones creat vel auget, exanthemata quoque producere valet. Quid ergo agunt ſudorifera, niſi ut fluidiorem ſanguini partem ſubtrahendo, craſſamentisque reſiduis citationem motum imprimendo, ſtaſes, obſtructiones, inflammationes vaſorum ſeroſorum & lymphaticorum cutis generent, natas augeant, ſpasmos cieant, totumque brevi corpus imperſpirabile omnino reddant? Patuit nocivus eorundem effectus in illis, quibus in morbo noſtro epidemico remedia hujusmodi fuerant propinata. Inter omnes, hi peſſime habuerunt. Neque ullibi tantam ſymptomatum ferociam, tantas animi perturbationes, enormes adeo angores, praecordiorumque aeſtus, morbi totius tantam anomaliam, exanthematum malignitatem, citasque ita gangraenas vidi, ac in iis, quibus alexipharmaca, diaphoretica fixa, bezoardica calidiora, theriacalia, & decantata per vicos, ſub pellentium titulo, ciniflonum ſecreta chemica fuerant in uſu. (*).

§. XXXII.

(*) Legi circa hanc rem meretur *Conr. Dahl* diſſert. inaug.

§. XXXII.

Pergimus jam ad ſpecialem delicatiſſimi hujus morbi curam. Haec eo directa, ut

I. Inſigni humorum ad putredinem diſpoſitioni & verae propenſioni obviam eatur, eorumque ebulliens exaeſtuatio reprimatur.
II. Ut ad caput nimius humorum affluxus praepediatur, irretismus nervorum encephali inde revellatur, priusque humoribus pravis monſtretur exitus, antequam vi morbi ad nobiliora corporis viſcera deponatur.
III. Ut Materies morbi jam in Corpore praeſens, ſeu exanthematica, incidatur, minuatur, ſanguinis latici ſubtrahatur & ejiciatur.
IV. Ut morbis acceſſoriis, urgentibusque aliis ſymptomatibus conſulatur.

§. XXXIII.

Primum obtinuimus, larga acidorum tam vegetabilium, quam mineralium, mediante potu, ingeſtione. Fuit itaque potus, decoctum hordei vel avenae decorticatorum, ſucco citri, ad gratam aciditatem maritatum.

Delicatioribus, lautiorisque fortunae hominibus, decoctum ceraſorum acidorum, vel ſolutae

D 5 fru-

inaug. med. de incongruo diaphoreticorum uſu, frequenti affectuum exanthematicorum cauſa. Halae 1752.

fructuum acidorum, horaeorum, gelatinae vel roob exhibebantur.

Idem ſaepe praeſtitit tinctura florum Papaveris Rhoeados, acido quodam minerali, v. gr. Spiritu Nitri, Spiritu Sulphuris per Campanam, vel Spiritu vitrioli, vel & ſucco Citri, aut Tamarindis nupta.

Varietatis cauſa infuſum cruſtae panis bene fermentati, ſiliginei, vino Rhenano, Moſellano, vel acetoſitate citri, vel ſimplici Aceto, omnibus forſan anteponendo (w) alteratum dabatur; quibus ſubinde ſerum lactis acidulum tamarindinatum vel ebutyratum lac ſubſtituimus.

Acceſſerunt his nitroſa, aliaque ſanguinis ebullitioni oppoſita. Cautum tamen circa nitri uſum, medicum apprime eſſe oportebat; quum ex inconſiderata & nimia Nitri exhibitione, citam & lethalem ſaepe κάτω inſecutam ὑπερκάθαρσιν plus ſemel viderim.

Exulent porro ex remediorum huic indicationi deſtinatorum formulis, omnia terrea & teſtacea; cum experimentis, multiplicique, ſubinde ſera experientia comprobatum habeamus, medicamenta haec

(w) Legi hic maxime meretur cl. *Benvenuti* tractatulus, Novis Actis Phyſico Medicis Academiae Caeſareae Leopoldinae Carolinae N. C. Tom. II. ann. 1761. art. 36. de aceti egregiis viribus inſertus, nec non cl. *Ooſterdykii* diſſert. de Aceto Traj. ad Rhen. 1762. Quibus jungi poterunt, quae *Amatus Luſitanus*, *Diemerbroeck*, *Sylvius*, *Pringle*, *Tiſſot*, *Freind*, *Hannes* aliique circa egregios, aceti, in febribus acutis, vel putridis, vel inflammatoriis, uſus memoraverunt.

haec terrea, abſorbentia, acrimoniam bilis augere, ejusque putredinem adjuvare, (x) quin ipſis antiſepticis juncta, nonſolum vim eorum antiputredinoſam infringere; (y) verum putredinem & corruptionem ipſam revera accelerare (z).

Victus, ſi quis, ex ſolis fructibus acidis fuit, vel aliis ſaltem aceſcentibus; ex fructibus horaeis coctis, ceraſis, prunis, pomis, jugubis, mirobolanis &c. & ſi forte in morbi decremento (a) ex juniori pullo, vel vitulina carne conceſſus cibus fuit; larga ubique acetaria, cucumeres, naſturtia, mori, ceraſa acida celiciana, ribeſia &c jungebantur. Adde his, memoratas jam §. XXVIII. potiunculas laxantes, tamarindinatas cum tartari cremore &c. & huic indicationi primae ſatisfeceris.

§. XXXIV.

Secundae indicationi ſervierunt applicata nuchae & ſuris veſicatoria larga, & ſi opus fuerit, itera-

(x) *Hallerus* Elem. Phyſ. Tom. VI. ſub art. Bilis p. 542. ſqq.

(y) cl. *Pringle* ipſum contrajervae pulverem compoſitum, ob teſtaceam ſimul accedentem partem, putredini non ita reſiſtere, eamque coercere invenit, ac radicem hanc ſolam, per ſe adhibitam.

(z) Pringle *Obſervations on the diſeaſes of the Army in Camp and Garriſon.*

(a) In morbis hujusmodi putridis, tenerrimas etiam carnes maxime noxias eſſe, inter plures cl. quoque *Haenius* obſervarit.

iterata, vel ubi delicationes aegri, aetas infantilis, aut mobile nimis ſyſtema nerveum fuerit; epiſtaſtica (b), ex aceto vini, fermento, ſapone nigro, radice raphani, alliis, ſemine ſinapi, herba rutae recenti, ſimilibus. Quanquam longe inferioris in rebelli hoc morbo virtutis, quam quidem cantharides ipſae deprehendantur.

Plus uni certe indicationi ſatisfaciunt adhibita ex cantharidibus in hoc morbo Veſicantia.

1°. Irretismum telarum nervearum encephali, ſi nuchae applicantur, novo & acutiori, quem producunt, ſtimulo diſcutiunt; dumque in loco vicino vehementiorem producunt irritationem, priores propinquorum nervulorum criſpationes vel omnino ſolvunt vel ſaltem inſigniter imminuunt, hinc ſanguinis ad affectum locum majorem affluxum inde revocando, ad ſolvendas quoque, natas jam obſtructiones feliciſſime cooperantur.

2°. Materiam acrem, cerebri nervorumque functiones turbantem, ad loca minus nobilia avocant; quo ipſo ſpirituum quoque ordinatam magis diſtributionem reſtituunt.

3°. Allectam hanc a vicinis locis materiam culpoſam educunt, ſicque morbo ulteriorem materiam ſubtrahentes, curam principalem facilitant.

(b) Vidi infantibus hoc tempore ad tuſſim convulſivam refraenandam, applicata ſuris Veſicatoria, quibus graviſſima & vere convulſiva inde nata ſymptomata ſunt, vix non invincibilia.

tant. Hoc fundamento nititur eorundem in variolis applicatio, ante puſtularum eruptionem. Totum morbum leviorem & breviorem reddunt artificioſa haec ulcera, eruptionem variolarum minuunt, ferocia ſaepe morbo huic accedentia, ſymptomata, praeveniunt, mulcent; quin veram quoque variolarum malignitatem corrigunt, & averruncant. Viderunt eximios eorundem effectus clar. *Sandifort*, eximius *Boehmer*, ill. *Cloſſ*, vidi & multoties ego.

4°. Addito novo ſolidis ſtimulo, vaſorum vividiorem in fluida reactionem promovent; hinc eximius quoque eorundem in retrocedentibus exanthematibus uſus.

5°. Humorum, a reddito ſolidis vigore, major ſequitur praeparatio, trituratio & elementorum ſanguinis intimior mixtio, inutilium promtior ſecretio, excretio. Hinc propior eorundem acceſſus ad ſanam indolem.

Patet hinc primo jam obtuitu, quantae utilitatis generaliter in morbis omnibus exanthematicis, in ſpecie autem in morbo noſtro fuerint Veſicatoria (c).

Neque

(c) In genere circa Cantharides notandum, quod illis praeprimis morbis conveniant, ubi ſerum vel lympha craſi ſana exciderunt, horumque humorum mutatio indicatur. Videtur enim Cantharidum volatile ſal, ubicunque corpori applicatum & receptum venis, ſanguine rubro ejusque balſamica

Neque ſolum quoad morbum cardinalem exanthematicum (d), effectus ſuos praeſtiterunt; ſed ſi morbos quoque acceſſorios & ſymptomata penſitemus, noſtrae epidemiae familiaria, Anginam (e), Cepha-

mica parte involutum, vaſa primi generis praeterire, ibi ſolum effectus ſuos editurum, ubi ſimplici jam ſero admixtum, magisque ſui juris redditum & evolutum fuerit. Hinc & experientia docet, nimiam & immoderatam Cantharidum applicationem, ab organis ſeri ſecretoriis & excretoriis nunquam impune ferri, praeſertim in ſubjectis tenerioribus.

(d) Inſignes Veſicatoriorum effectus ſalutares expertus eſt, cl. *Darluc* in febre epidemica, maligna, eryſipelatoſa, anginode, urbis Cailan a. 1750 & 1751. Felices eorum ſucceſſus Vindobonae vidit in morbo epidemico petechiali annorum 1757 ad 1759 cl. *Haſenoehrl.* Commendatiſſima cl. Sir *William Hillary* medicus anglus refert, in febribus illis putridis, bilioſis, Inſulis Caribaeis praeſertim Barbados, ſub zona torrida endemiis, ab Anglis *The yellow Fever* a flavo quem corpori conciliat colore, gallis *la Fievre Matelotte* vocatis.

(e) Anginae peſſimae, ulceroſae, putridae, cum fructu Veſicatoria nuchis applicanda oppoſuit Bathonienſium quidam Medicus anonymus, vid. *a lettre from a Phyſican at Bath to Dr. Heberden &c. London* 1758. In Morbo miliari veſicatoria aeque adhibuit *Caſimir Medicus* p. 542. uſus eſt illis cl. *Brendel*, vid. ejus tractatum de ſeriori evacuantium uſu p. 30. Expertusque eorundem egregios effectus *Molinaris* de miliarium indole & tractatione p. 148.

Cephalalgias intolerabiles (f). Oculorum inflammationes dolorificas (g), Deliria (h) &c. & his quoque appropriatum omnino remedium fuiſſe, nemo non facile videt.

Hoc ſolum circa eorundem applicationem notandum:

I. Optimam, & ubique fere laetam opem ferre veſicantia iis, quibus ſtatim a morbi principio applicata nuchae fuerint: Allectis prius ad determinatum hunc locum humoribus peccantibus, antequam vi morbi in actum deducti & alibi jam depoſiti fuerint. In his ubique parcior exanthematum eruptio ſecuta eſt, mitiusque, ſi quod, delirium.

II. Ut larga ſint; & per totum morbi decurſum aperta ſerventur & manantia, eroſa ſemel loca: & ſi ex quacunque cauſa clauſa fuerint nata ulcera; (id quod in noſtra epidemia facile accidit) auxiliis ex fonte Chirurgico-Medico ſumendis, in actum haec reducenda & irritanda ſunt. Certius & citius nova jam nata epidermis, ſuperimpoſito novo emplaſtro, Cantharidum pulvere adſperſo, arroditur.

III. Ut

(f) De Cephalaea vide quae §. XXX. ad lit. n. in notis.

(g) *Ettmuller* Tom. II. p. 651.

(h) Hoc ubique patebit, ex adnexis huic opellae caſibus clinicis, & ſine his quoque quotidiana hoc docet praxis.

III. Ut determinata jam in morbi progreſſu materia ad encephalon; primum ſuris, dein ſcapulis, tandem nuchae applicentur: ne humorum congeſtio ad ſuperiora augeatur.

IV. Ut poſtulantibus majorem irritationem, ſerique peccantis largiorem effluxum, ſymptomatibus; infra locum in nucha jam eroſum nova ponantur hujusmodi Veſicatoria: Singula ſemper. Mictum quippe cruentum a ſimultanea plurium Veſicatoriorum, vel a majuſculis iisdem, Corpori tenero & irritabili applicatis, & ſtrangurias ſubinde natas vidi.

§. XXXV.

Tertius ſcopus ille eſt, ut viribus vitae proſpiciatur; mediantibusque his materies morbi incidatur, corrigatur, vel ſi opus fuerit e Corpore eliminetur.

Finem hunc feriit optime inter multa alia fruſtra tentata, ſimulque ſolidorum ad necroſin diſpoſitionem vix credibilem compeſcuit *Peruvianus cortex*. Hic, tot diverſorum, qui humanum genus affligunt, morborum victor fortis & felix; ſpecificum quoque aromatico ſuo ſtimulo hujus luis antidotum fuit; adeoque tuto huic morbo medebatur, ut ex omnibus illis quorum curam in ferali hoc morbo geſſimus, quibus cortex miniſtratus fuit, deceſſerit nemo (i) niſi puella cacochymica,

(i) Idem gloriari potuit de uſu Corticis in febribus mali-

ea, quam diarrhoea putris abſtulit, cortice ipſo indomabilis, (k).

Haec fluentibus catameniis, ſuſcepto per contagium morbo decumbens, altera jam die ſub pulveris bezoardici uſu, purpuram erat enixa, cum notabili ſymptomatum incremento. Tertia agebatur dies, cum in auxilia vocatus, hebetem illam & ſtupentem quaſi invenirem, doloribus faucium atrociſſimis diſcruciatam. Praeſcriptum ex ſambucinis & meliloti floribus decoctis gargarisma, cui mel acceſſerat, circumjectumque collo externo emolliens cataplasma, inflammato gutturi non magis profuit; quam naſcenti delirio, veſicatorium, nuchae applicatum, largum; aut exhibitus ad ſupprimendum principem morbum, in decocto ſaturato, cortex. Potius brevi poſt ſine ulla manifeſta cauſa horruit; faucium dolor omnis, tumor & inflammatorius rubor ſiluit; manente tamen deglutitionis ſumma difficultate. Eodem die turbata

enor-

(k) Diarrhoeis ceteroquin putridis colliquativis & in noſtra Epidemia egregie profuit Corticis peruviani cum glycyrhiza decoctum ſaturatius. Idem Mr. *Malovin* expertus eſt in periculoſiſſima illa diarrhoea putrida Pariſios infeſtante anno 1747. menſe Februario: ſiluit & haec quoque poſt exhibitum corticem. vid. Hiſt. de l'Acad. Roiale des Sciences pour l'année 1747. Conferri his omnino meretur cl. *Hannes* Tractatus Epiſtolaris ad Ill. *Baldingerum* ſcriptus, obſervationibus circa hoc quoque medicamentum utiliſſimis plenus.

enormiter alvus tabum ejecit putridiſſimum, odoris intolerabilis; evaneſcente interim purpura. Diarrhoea haec ad triginta continuas horas perſtitit, cum pulſu molli, parvo, intermittente; dein (ut referebatur) ſponte remiſit. Jam rigor totum corpus occupat; redeunt, plaudentibus vicinis, efflorеſcentiae, accedit dextri oculi amauroſis, totiusque corporis color violaceus. Deglutitio omnino ſupprimitur, ſingultit, convellitur interna, & ſic, laete jam per univerſum corpus florente purpura, quam cryſtallinam (Perl-Frieſel) vocant, quinta morbi die moritur.

Quanquam autem in hoc caſu jam enarrato, libitinae non eripuerit aegram Peruvianus cortex; ſana tamen ratio, fidis, quotidianisque experimentis ſuffulta, difficillimis etiam morbis ſufficientem illum ſatis ſuperque demonſtrat, (l).

Roborat enim (m), grataque tenſione ſtringit corporis humani praeter naturam laxata ſolida, eaque

(l) In pernicioſo illo brutorum morbo, noſtram ſpem ſuperavit fere cortex; quem aceto vini nuptum, praemiſſa purgatione ex aliquot unciis ſalis cujusdam medii, laborantibus pecoribus exhibere, ventremque ſimul laxum ſervare ſuaſi. Eandem hujus remedii virtutem in pecudum morbo *Lugdunenſi* variolisque ovillis, malignis, epidemicis experti ſunt Galli. Vid. Memoire qui a remporté le Prix propoſé par la Societé Roiale d'Agriculture à Paris 1765.

(m) Corticis Peruviani tonica vis, nota nimis eſt, quam quae demonſtretur. Particularem autem hujus

que blando ſuo & amico ſtimulo ad ſuſpenſa officia ſollicitat: hinc reddito vaſis tono, humorum per ea motorum crudorum ſubactionem, triturationem laudabilemque craſin reſtituit; (n) coctiones

hujus medicamenti virtutem, vaſa debilia roborandi, qua ſimul humorum aeſtuantium, ad certa corporis loca jam determinatum affluxum revellit; ſilentio hic non praetereundam puto.

Notum chirurgis: Haemorrhagias ſaepe vulneribus ſupervenire, ob vaſculorum tenellorum infirmitatem auctumque humorum ad loca haec minus reſiſtentia appulſum; non raro enormes: praeſertim in vaſorum majorum vicinia. Aufert has & ſiſtit; quin inſtantem quoque haemorrhagiam, ex gravitate, dolore, calore, pulſatione, partis affectae praecognitam, cavet Peruvianus Cortex & praevenit. Legi circa haec meretur *Ranby*, *the Method of Treating Gun-Shot Wounds Lond.* 1744. Eodem modo cortex quoque haemorrhagiis uterinis ſpecifice medetur, teſte ill. *Werlhoff* Tract. de Febr.

(n) In Vulneribus hoc manifeſte patet; ubi ob deficientem vaſorum vigorem, plagae labia palleſcunt, tenueque acre & ichoroſum pus conſolidationem praepedit. In his ſi interne cortex adhibeatur; rariſſime fallit, quin cito floridus redeat labiorum vulneris color, bonumque, laudabile, coctum & balſamicum pus in eo generetur. Conf. Bilguers Anweiſung zur ausübenden Wund-Artzney-Kunſt / Sect. IX. §. 379. Medicamenta autem ipſa ad §. 61. No. 14. ſeq. invenies. Eundem corticis Peruviani in humores noſtros effectum confirmat *Ludwig* in Inſtit. Therap. Gener. p. m. 63.

nes & criſes in morbis δυϛκρίτοις promovet; (o) ſicque variis morbis, ab his cauſis pendentibus, maxime convenit. Patet hinc, quo jure & quanta affulgente proſperi eventus ſpe, febribus (p) praeſertim malignis exanthematicis opponatur, (q).
Vitae

(o) Vide quae de his *Munkley* in *Philoſophical Transactions* Vol. L. Part. II. art. 81. notavit.

(p) Corticis inſignem virtutem in febribus acutis & inflammatoriis experti ſunt; cl. *Pringle*, S. Beobachtungen über die Kranckheiten einer Armee. — *Huxham*, Abhandlung von Fiebern. — cl. *Baldinger*, Diſſ. de militum morbis imprimis exercitus Regis Pruſſiae. — *le Roi*, Memoires & Obſervations de Medicine. Pratique I. Partie ſur les fievres aigues Montpelier a. 1766. — *Monro*, Beſchreibung der Kranckheiten in denen Brittiſchen Feld-Lazarethen in Deutſchland, Altenb a. 1766. — M. *Sarcone*, Iſtoria ragionata de mali oſſervati in Napoli vel anno 1764. — *Landuette*, Journal de Medicine Vol. XXVII. an. 1767. mois Aout. — *Lind*, *an Eſſay on diſeaſes incidental to Europeans in het climates*, *London* 1768. — *Le Clerc*, Hiſtoire naturelle de l'Homme, Paris, Part. II. — *De Haen*, Meth. Med. Part. II. cap. VI. Part. III. cap. I. Part. V. cap. I. — *Grimm*, Nov. Act. Acad. N. C. Tom. III. Nor. 1767. & multi alii, hic non recenſendi, inter quos cl. *Medicus* adhuc nominandus S. Sammlungen und Beobachtungen.

(q) Egregias hujus corticis virtutes in morbis malignis exanthematicis jam dudum ſubolfecerunt, & revera experti ſunt, celebres in arte medica viri. Sub finem elapſi ſaeculi jam a *Mortono* adhibitus
eſt.

Vitae enim vires elevando, & corruptam mate-riam corrigendo, ſanaeque mixtioni reddendo;

eſt. In principio hujus aevi eximium ejus uſum in febribus hujusmodi epidemicis vidit *Fr. Torti*, Mutinae. Anno 1720. in conſtitutione epidemica Auguſtae Taurinorum ſummo cum fructu dabatur. Eundem cum Elixirio vitroli acido Mynſ. nuptum a 1735. *Huxham* dedit, addita tamen Contrajerva, Serpentaria, Camphora &c. Conſ. Recueil periodique d'obſervations de Medicine Tom. VII. Menſ. Nov. Art. I. an. 1757. Militibus febri maligna petechiali laborantibus ſummo cum fructu a. 1748. corticem praeſcripſit *Pringle*. A. 1757. *Greg. Menſurati*, Medicus Graecenſis in febri tunc temporis epidemica, omnibus incaſſum tentatis, medicamentum hoc cum ſucceſſu adhibuit. *Ipſe autem*, ut Haenii verbis utar, *dum eodem hoc morbo brevi poſt corriperetur, a medicis vires corticis ignaris communi methodo tractatus, communi more periit.* Sequenti anno *Haenius* chinae hunc corticem, febri malignae, petechiali, miliari, opposuit; eoque auctore *D. Haſenoerl*, Vindobonenſium egregius medicus & *D. Kollmann* laudatum hoc remedium, iisdem morbis, eodem cum fructu adhibuerunt: & ex hoc quaevis fere hujus generis epidemia, corticis egregios effectus confirmavit. Plura, qui adhibiti cum ſucceſſu corticis, exempla noſſe cupit; legat *Benvenuti* Diſſert. Epiſt. ad I. B. *Beccarium*, Luccae 1754.— *Vage*, lit. ad cl. *Brocklessby*, vid. *Medical Obſervations and Inquiries*, *London*, Vol. II. Art. XXI. p. 269. — *Cleghorn*, *Obſervations on the epidemical diſeaſes in Minorca from the year* 1744.

ſomitem quoque mali reſtinguit (r), eoque ipſo exanthematum eruptionem ad oculum minuit (s), quini-

to 1749. *p.* 65. — *Oliphant*, *Medical Obſervations*. Vol. I. Art. 8. — *A lettre from a Phyſican at Bath to Dr. Heberden*, *London* 1758. *Vogel* in Act. Acad. Elect. Mogunt. Tom. II. 1761. p. 461. &c.

(r) Hinc excellens quoque in Variolis, morbo aeque acuto, putrido, exanthematico, hujus remedii virtus eſt. Felicem ejus ſucceſſum notant inter recentiores plures, praecipue cl. *Monro* in Act. Edimb. Tom. V. Part. I. art. 10. — *Wall*, von dem Nutzen der Fieberrinde in den Kinder-Blattern, in denen Hutiſchen Sammlungen, Nürnb 1760. — *Roſen von Roſenſtein*, Diſſert. de Variolis curandis, Upſ. 1754. — Hirſchel, Briefe über verſchiedene Gegenſtände aus dem Reich der Artzney-Wiſſenſchaft, 1 Theil, Berlin 1768. — *Le Clerc* Medicus Veritatis amans, Moſcau 1764. — *Dimsdale*, neue Methode für die Einpfropfung der Pocken, Zürich 1768. — A lettre from *Dr. Glaſs* to *Dr. Backer*, London 1767. — *Eller*, obſervationes de cognoſcendis & curandis morbis praeſertim acutis, Amſterd. 1766. —

(s) Patet idem ex Obſervationibus *Haenii*, pauciora ſemper prodiiſſe ſub uſu corticis exanthemata miliaria, Rat. Med. Part. IV. Cap. I. §. III. Quanquam hoc loco materiam morboſam vi corticis ad ſyſtema coeliacum delatam & vomitu aeruginoſo redditam exiſtimet. Quid autem proprie a medicamento hoc in febribus exanthematicis exſpectandum ſit, clare admodum exprimit cl. *Ball* in Praxi Medicinae hodierna (*the modern Practice of Phyſic. London* 1760.)

Corti-

quinimo expoſitam inſuper purpuram revocat (t) materiam hanc a corporis ſuperficie revulſam emendat, morbumque ſic perfecte ſanat. Virtutibus his jam memoratis ſtupenda accedit hujus corticis antiſeptica vis, omnibus hucusque cognitis facile ſuperior. Cl. *Pringle* ſumta circa hanc rem experimenta hoc ſatis demonſtrant; (u) ex quibus patet: nonſolum carnes animalium recentes, hujus corticis ope incorruptas ſervari; ſed corruptas etiam omnino reſtitui, foetorem illis adimi, ſolutasque jam in tabum fibras ad priſtinum robur poſſe revocari. Feliciſſimos ejusdem in ſiſtenda Gangraena effectus, nubes certe probat oculatorum teſtium: Quin ipſius quoque Sphaceli veraeque νεκρώσεως unus & certus obex, ancoraque ſacra vocandus. (v) Serpentem enim mortificationem nonſolum

„ *Cortice Peruviano*, inquit, *opus eſt, quo Febris, cum eruptione Miliarium puſtularum .... infringatur.*

(t) Vide ex obſervationibus clinicis adjunctis caſum ultimum.

(u) Vid. Transactiones Philoſophicas anglicanas anni 1751.

(v) Annus fere eſt, quod Matronae adfuerim, cui poſt infelicem Venaeſectionem, inflammatum primo, dein incredibili modo tumens, mox bullis ubique gangraenoſis obſitum evenerat brachium. Adhibita, quae ars jubet, praeſidia externa, tum medica, tum chirurgica, non prohibebant, quin poſtero die, ex quo vocatus fueram, circa medium muſculi ſupinatoris longi, plaga,

ſolum promte limitat; verum moribundas etiam par-

ga, vere ſphacelaſcens & moribunda emergeret: Livida haec erat, nigricans, corii ad tactum ſimilis, magnitudine imperialis Hollandici. Larga tamen manu exhibitus interne cortex, nonſolum ulteriorem mali progreſſum inhibuit, ſed ipſam quoque ſphacelaſcentem partem intra octo & quadraginta horas vitae reddidit; bullasque omnes tabo gangraenoſo plenas, interim elevatas, vero & cocto pure replevit. —

Noviſſime viro ſeni, eccleſiaſtico, octuagenario, natam in dextro Pede gangraenam ſcorbuticam, ſtrenuus corticis, tam internus, quam externus uſus, feliciter domuit; quamquam plaga palmam manus adaequans, jam ſphacelata fuerit, quam cultro reſecui.

Ante trimeſtre, vetulam ſeptuagenaria majorem, corticis peruviani largo uſu ex orci faucibus eripui. Gangraenoſum haec brachium ferebat, ultra cubiti flexuram jam infectum. Ceſſerant jam violentiae morbi, omnia, quae manus dorſum veſtiunt integumenta, tendinesque auricularis & annularis digitorum extenſores. Soluta jam in tabum putridum cutis; carniumque ſubjacentium inſignis pars in brachii medio hiatum reliquerat, tres fere pollices longum, foedum viſu. Vacillabat jam pulſus, ſidebant vitae fulcra, hebeteſcebant ſenſus. Verbo, extrema videbantur agi. Quum ego vocatus, ſcarificatis ad vivum partibus, ex cortice fomenta circumjicere ſingulisque horis drachmam ſemis ejusdem medicamenti in ſubſtantia exhibere inſtituerim. Nycthemeron tranſierat, corticisque ſesquuncia vix ingeſta, quum velociſſimum ſerpentis mali progreſ-

partes vitae & ſanitati reddit (w). Quid ergo mirum, quod penſitatis tot tantisque hujus remedii viribus medicatricibus, omnibus noſtro morbo aptiſſimis, ſaepius jam memoratus cortex

E 5 ſub

progreſſum, in corpore hoc ſenili viderim limitatum. Quanquam durante hoc tempore, integumentorum aliqua pars, circa carpum deceſſerat. Continuabatur in Corticis tam interno quam externo uſu. Quo facto, poſt triduum laudabilis inſecuta eſt ſuppuratio; cui regundae exhibitus per aliquod adhuc tempus cortex, egregie opitulatus eſt. Perſanato hoc malo; dein ex alio morbo, cui nihil omnino oppoſuit, mortuam audivi.

(w) In Anginis gangraenoſis, praeſens ex corticis uſu auxilium, jam ſupra oſtendimus. — In variolis malignis, confluentibus cito gangraeneſcentibus ejus eximiam opem expertus eſt, cl. *Baylii*, vid. Epiſt. ad Henr. *Pemberton* p. m. 27 in *Philoſophical transactions Vol. XLVII. for te years* 1751. *and* 1752. Qui plura de inſigni corticis virtute limitandi ſphacelos exempla ſcire geſtit; legat cl. *Rushwoorth*, *propoſal for the improvement of Surgery*; obſervatis *Amyandi*, *Delenorii*, *Douglaſſi* aliorumque celebrem certe tractatum. Legat obſervationes cl. *Martinaei*, *Vallandri*, *Lundi*, it. Schneiders von Mit-Weide Chirurgiſche Geſchichte mit theoretiſchen und practiſchen Anmerkungen, Vol. V. & *Kronecker* Diſſert. inaug. de Corticis Peruviani uſu Chirurgico.

Semel tantum ſpem noſtram fefellit, memoratum hoc remedium. Dignus certe caſus, quem Tecum communicem. Anno ſexageſimo h. ſ. ſeptimo, medio Decembris parturienti aderam

trice-

ſub indubitata boni eventus ſpe & huic quoque epidemiae adhibitus fuerit.

Dabatur ille in principio, ſi angina illud permitteret, quod raro tamen accidit, in ſubſtantia ad ſcrupu-

tricenariae, primiparae. Haec poſt praeternaturale & laborioſum puerperium, gemellos enixa, quorum alter jam computruerat, primum quatriduum ex voto tulit. Lochia laudabilia fuerunt, ſomnus bonus, appetitus bonus, mens hilaris. Febris dein ſolita lactea acceſſit, brevi poſt iterum evaneſcens. — Septima die, lochiis bene fluentibus, elevari nonnihil abdomen; & poſtridie doloribus erraticis ad dorſum usque reptantibus detineri coepit; quibus fotu externo ex floribus ſambucinis & chamaemelinis lacte vaccino coctis, injectoque clysmate emolliente carminante non ſine fructu obviam itum. Detumuit venter, ſiluerunt dolores. — Nona, Decima, Undecima dies lucide tranſibant. Alvus per hoc triduum laxior erat. Lochia nonnihil dilutiora eſſe incipiebant, ceterum laudabilia. — Duodecima inſequens dies alvum magis turbatam cum febricula adtulit, ſequentibus decima tertia, & quarta diebus, quicquid agerem, auctiora. Vermes ſecedebant per inferiora vivi, ſecedebant per ſuperiora; dum ſimul materies tenuis aquea, inſtar infuſi fabarum Cafeae bruna, nec foetens, nec putrida, per alvum, ſaepe quindecies & ultra, in die, ejiceretur. Mens praeter haec ſubinde alienari, ſenſus hebaſcere, pulſus vacillare coepit. Abdomen interim molle fuit, collapſum, indolens. Succedebant Lochia. Ego portenti quid ſubeſſe, non ſine cauſa ratus, Corticis peruviani cum Glycyrrhiſa decoctum ore ſumendum,

ſcrupulum unum aliquoties in die ex mixtura tem-
erante nitroſa, vel ex Tinctura florum papaveris
hoeados, aquoſa, acidulata. Si vero faucium
nflammatio pulverulenta prohiberet, decoctum
hujus

dum, herbasque antiſepticas, cortice nuptas, abdomini externo, ſub fomenti forma applicandas, praeſcripſi. Quae injiciebantur enemata, ſine ullo fructu ſtatim refluebant. Eadem hac die, horis matutinis puſtulam in manus dextrae, digiti medii apice, minutam, indolentem, aegra detexit; qualem ſub veſperam in altera manu ſimiliter natam & ego inveni: Aciculae maioris caput forte aequabant, & liquore rubello, pellucido, plenae obſervabantur. — Poſtridie dejectiones parciores fuerunt; aſt ob materiei acrimoniam, aliquantum dolorificae. Injectum ex lacte dulci, cum Therebinthina in vitello ovi ſoluta, enema, hos dolores compeſcuit. Strenue interim in uſu Corticis, tam externo, quam interno perrexi; praeſertim cum ſine aperta cauſa, pulſus languere & intermittere inciperet. Hebeteſcebat ſubinde viſus, ſudorque copioſus, frigidus, totum perungebat corpus. Puſtulae ad digitorum apices natae, jam in bullas majores, ex nigro fuſcas, abierant; extremam digitorum phalangem vix non occupantes. Horrui ad earum adſpectum: aperui veſicas, fotuque antiſeptico, chinato, utrumque perfricatum digitum involvi. Eadem hac die, circa coccygis os, dolor quoque, rubor, levisque inflammatio obſervabatur; quam communibus remediis repellere, mutatoque aegrae decubitu, in poſterum praevenire meditabar. Appetitus ad hunc usque diem bonus fuerat. Potus, avena decorticata, multo citri

hujus corticis dabatur cujus libra una, unciam unam vel pro re nata, ſesqui unciam aut etiam binas ſaepe corticis capiebat. Adjiciebatur paulum nitri vel tartari vitriolati, acidusque citri ſuccus. Subinde ipſius quoque corticis extractum. Quibus ſi guſtui aegrorum placere mens erat; Mororum, Ribeſiorum, vel Citrini ſucci ſyrupus adjiciebatur. Si ſympto-

citri ſucco praegnans, exhibitus; conceſſusquoque hauſtus ſubinde vini Rhenani, meraci. Nox inſequens ſopore tranſiit, verum medicamenta ad juſſum exhibita. Sub diluculum amauroſi detentam inveni; Pulſus parvus, mollis, vacillans fuit. Mens, ut videbatur, hebetior; immo riſum ſubinde obſervavi, vere Sardonium. Alvum ter noctu depoſuerat, ſine vel minimo doloris ſenſu. Secunda jam digitorum phalanx iisdem bullis gangraenoſis occupabatur, quas ſine aegrotae ſenſu aperui. Scarificata ad vivum loca, fotus texit antiſepticus, ſpirituoſus. Inſpectum os coccygis, plagam palma manus majorem, lividam, nigreſcentem, fere ſphacelatam, oſtendit: totusque obſtupui, cum ſimiles quoque bullas, humore violaceo plenas, gangraenoſas, utriusque pedis pollicem occupaſſe cernerem. Conclamata res erat. Dorſum interim & pedes ex legibus artis tractari juſſi. — Sequens decima ſeptima dies omnia auxit. Deglutitio jam impediri, reſpiratio intercludi, nictusque interdum ſingultuoſi adeſſe coeperunt. Digiti manuum medii, pedumque pollices, ſphacelaſcebant toti, intactis vicinis. Serpebat per dorſum necroſis a coccyge nata; linquebatur interdum animo, tandemque ſequenti decima octava poſt puerperium die, exſpiravit.

ſymptomata id juberent, ſemina quoque frigida, papaverina, vel amygdala cum memorato jam decocto emulgebantur. Notandum tamen circa ipſum Corticis uſum.

1°. Melioris, praeſtantioris & promtioris in hoc morbo effectus fuiſſe corticem, ſi ſub forma decocti exhiberetur, quam ejus in ſubſtantia uſus. Demonſtraverunt idem facta a cl. *Pringle* tentamina: Hic enim infuſo Corticis corruptas carnes citius correxit multoque diutius (ultra annum) intactas a putredine ſervavit, quam quidem cortice Peruviano ipſo (x).

2°. Tutius dabatur cortex aegris, quibus pulſus parvus, contractus & inaequalis erat, quam illis, ubi plenus, multus & ordinatior obſervabatur.

3°. Infantibus aeque tuto exhibebatur decoctus cortex, ac quidem adultis: Si autem tenella haec aetas ore ingeſtum hoc remedium non ferret, ſive proprius huic aetatulae medicamentorum horror, aliam ſuaderet methodum; applicatus externe, incluſus interpaſſatis ſacculis hic cortex, in anatica quantitate aquae & vini decoctus; aut more *Baglivi* & *Helvetii* ſub enematis forma injectus, prodeſt. Simulque in his ſecundarium ferimus ſcopum. Necat quippe idem hic cortex & expellit verminoſam illam, medico in his morbis perſaepe curatu alias difficillimam, ſaburram.

4°. Egre-

(x) Vid. *Philoſophical Transactions*, a. 1751. N°. 496. p. 525.

4°. Egregios in noſtro morbo effectus tulit peruvianus cortex, ſi ejus decoctum ſaturatius, tamarindorum pulpae nuptum, ſtatim in morbi principio exhiberetur, tunc enim nata inde & ſervata per totum morbi decurſum ſolutior alvus, ſymptomata alias ferocia mire compeſcuit, ebullitiones ſanguinis repreſſit, quin exanthematum quoque eruptionem ad oculum minuit.

Camphoram a neotericis noſtris magni etiam nominis viris *Pringle*, *Huxham*, aliisque ad malignitatem morborum corrigendam, putredinem arcendam, concultatasque vires elevandas depraedicatam, in epidemia noſtra non ita efficacem inveni.

§. XXXVI.

Quarta demum indicatio circa morbum verſatur, febri purpuratae complicatum, aliaque urgentia ſymptomata. Agmen itaque merito ducet *Angina*, morbus per ſe affligens, per ſe periculoſus & funerum in hac epidemia aeque fertilis, ac febris ipſa ſcarlatina purpurata.

Notatum jam eſt in antecedentibus, fruſtra dum febris jam adeſſet, tentari & ut plurimum tentatam fuiſſe in epidemiae vigore reſolutionem; hinc emollientibus ſolis inſtituta cura eſt: Adhibito ſimul interne, huic ſcopo famulante, gangraenasque inopinato ſaepe invaleſcentes, & toties apud vicinos lethales, ſupprimente, peruviano cortice; quem in aegris quoque anginoſis, miliari febre in declinatione morbi, non detentis, cum ſummo

fructu adhibui; experimentis Bathonienſibus fretus cl. Dri *Heberden* communicatis: ubi anno 1757. anginae ibi epidemicae, peſſimae, putridae, ulceroſae, cortex hic cum nitro & elixirio vitrioli maritatus, laeto eventu miniſtrabatur (y). Accedebant cl. *Huxhami* conſilia, qui ſimili anginae gangraenoſae cum febri exanthematica junctae, idem objecerat remedium, hoc tamen diſcrimine, ut corticis ipſius loco, ejus tincturam exhiberet; experientia doctus, hanc cortici ipſi in ſubſtantia dato, multum praevalere (z).

Ad remedia interna pertinent adhibita huic morbo lenia laxantia, antiphlogiſtica, Rhabarbarina, Tamarindinata, Tartarea; vel ſi omnino praepedita deglutitio fuerit, injecta alvo enemata.

Quoad externa topica. Magni ſubinde uſus fuerunt ad promovendam ſuppurationem, quae uti jam ante monuimus ad facilitandum morbum primarium omnino indicabatur; adhibita Gargariſmata, vel ex ſpecierum noſtrae officinae emollientium, vel ex ſolo florum ſambucinorum infuſo; cui aut mel ſimplex aut ſubinde oxymel admiſcebatur. Eadem haec, ſi atrocia morbi, vel & vires aegri gargarizationes praepedirent, ſiphonis ope injiciebantur. Huic feriendo ſcopo multum praeterea profuerunt admota gutturi cataplaſmata ex herbis emollientibus, floribus ſambuci, chamo-

(y) A lettre from a Phyſican at Bath, to Dr. *Heberden* &c. London 1758.

(z) Recueil Periodique d'Obſervations de Medicine, Tom. VII. Menſ. Nov. 1757. art. 1.

chamomillae, meliloti, farina ſeminum lini, v. avenae, in lacte dulci coctis, parata. Haec combinata intra quatriduum plerumque faucium hanc inflammationem ad abſceſſus rupturam usque promoverunt. Ne autem (ut in Epidemiae vigore ſaepius accidit) nata in faucibus inflammatio nimis exaeſtuaret, immo ad ſummum gradum velociſſime evecta, gangraenam ibi produceret; applicatum nuchae veſicatorium largum, & ſi requireretur iteratum, feliciter cavit. In declinatione morbi ſubinde faucium inflammationes omnino diſcuſſit.

Externa alia rubefacientia gulae applicari ſolita, v. gr. ſemina ſinapi cum aceto tuſa & ſubacta, ſpiritus ſalis ammoniaci cum oleo provinciali, vel ex *Bikkeri* conſilio, cum lacte dulci (a); vel oleum amygdalinum cum ſpiritu cornu cervi, haleces, idque genus alia, collo incaſſum adhibita ſunt.

§. XXXVII.

Symptomata alia ſequuntur, Medici curam poſtulantia.

Inter haec *Deliria* potiſſime medicantium adtentionem merentur. Confirmata haec nullam prorſus, quicquid actum fuit, medelam admittebant. Incipientia autem, levia & ἀπαθῆ ſi ex ſola partium nervoſarum irritatione orirentur, veſicatorio levabantur. Continuata, additum vel ſecun-

(a) Vid. Edit. Belgicam cl. *Tiſſot Raadgewingen voor de Gezondheid van den gemeenen Man &c. p.* 80.

cundum, vel tertium repreſſit. Illud, quod clauſa alvus producebat; clysma injectum alvusque dein laxior fugabat. Quam agrypnia ſenſibus affuderat irregularitatem, ſeminum emulſio pacabat.

Dolores Capitis iisdem ac memoratae jam mentis alienationes, veſicatorio, enemate, laxante, vel etiam applicatis fronti acetis Roſaceo, Chamaemelino, Sambucino, Rutaceo, oppugnabantur. Eadem haec aceta, volis manuum, pedumque plantis, ope ſpongiae vel linteaminum applicata, *aeſtum corporis* intolerabilem feliciſſime repreſſerunt.

Alvus adſtricta injecto enemate aperiebatur, vel exhibito tamarindorum decocto. Utrumque, quamvis plures inde ſecutae fuerint ſedes, nihil tamen enixis jam exanthematibus nocuit: Potius reliqua morbi ſymptomata inſigniter levavit. In genere Caſſia & Tamarindi, evacuandi per alvum ſcopo exhibiti, hujus generis effloreſcentiis aptiſſimi ſunt. Si autem in aegris multum ſpuentibus, alvus ſegnior aperienda erat, mercurium dulcem optimo cum ſucceſſu dedi.

§. XXXVIII.

Claudet dicendorum ſeriem, praeſervatoria morbi hujus epidemici cura. Communis haec morbis quibuscunque epidemicis, acutis, putridis, exanthematicis erit.

Cenſent egregii in arte viri, perverſam, quam vivimus, vitam, & miram noſtri ſaeculi, tam in

F eſcu-

eſculentis, quam potulentis exoticomaniam, generandis morbis acutis exanthematicis perquam idoneam.

Sed haec, cui bono? quum via ad longaevitatem genio noſtro diſpliceat, ſciamusque licet meliora & probemus; deteriora tamen ſequamur? Quid refert! Medicorum eſt, dare; ſanitatis amantium, datas ſequi ſanitatis leges.

Culpam poena premit comes.

§. XXXIX.

Inter ea, quae Purpurae generandae apta a Medicis putantur, ante omnia nominandus potus ille eſt, ſine quo jam nec Princeps, nec hara, nec lotrix vivere amplius poſſe exiſtimat. (b) CAFEAM puto (c). Matrem Purpurae hanc vocant *Rivinus*, Fr. *Hofmannus*, *Schulzius* & cum his multi alii. Varias ex ejus abuſu noxas collegerunt cl. *Thierry*, *Pr.*

(b) Adeo jam invaluit potus hujus conſuetudo, ut verendum ſit, ne quod de mulieribus Arabicis teſtatur *Plazius*, denegatus ejus uſus, noſtratibus quoque divortii cauſam aliquando praebeat.

(c) Confabulationis hoc egregium adminiculum, foemineorumque conſeſſuum quaſi anima, ao. 1659. primo in Galliam pervenit; unde cum moribus hujus populi ad nos tranſiit. *Strauſſius* primam machinae uſtulatoriae clauſae iconem dedit, optimamque potum hunc parandi methodum *du Four*, *Bontekoe*, *Mappus* & *Blegny* dederunt, quam tamen Filtra noſtra longe praecellunt.

Pr. Alpinus, *Lemery*, *Plaz*, *Geoffroy*, *Fiſcher*, *James*, *Krüger*, *Hilſcher*, immo omnimodum ejus uſum reprobaverunt *Duncan*, *Hecquetus*, & *Simon Pauli*.

Quoad moderatum hujus infuſi uſum, abſit, ut hoc potulenti genus rejiciamus plane. Sunt, quibus medicina eſſe poterit; ſunt, quibus venenum. Dandum & in his aliquid erit conſuetudini, tempori, regioni, & aetati (d) Cafea medicamentum revera calidum eſt, habita ratione particularum eam conſtituentium. Sanguinem exagitat, totique circulo rapidiorem motum manifeſte imprimit. Emmenagogam ejus virtutem experientia probat (e): Hinc promiſcuus & immoderatus ejusdem uſus, praeſertim in ſubjectis plethoricis, mobilibus, calidis, biliofis, ſaepe varios nec infimae claſſis morbos conciliare (f) eorumque corpora ad ſuſcipiendos facile, dum graſſantur, exanthema-

(d) Hippocr. Sect. I. aph. 17.

(e) Legi merentur quae laudatus jam *Thierry* circa virtutem Cafeae menſtrua puellarum cientem egregie monuit. Irregularitatem hujus evacuationis exinde naſci, aliaque mala, expertus recenſet.

(f) Puellarum pulcritudinem hoc potu minui, roſeumque faciei colorem in flavum tetrumque viſu mutari affirmat *Plazius*, qui venerem quoque frigidam a crebriori hujus potus uſu, praedicit. Ulterius procedit *Olearius*, qui in *Itinerario ſuo Perſ. & Moſc. Libr. V. cap.* 17. ab exemplo Sultani Machmud Casmin, ſterilitatem ſtrenuis cafeae potatoribus auguratur.

thematicos morbos, diſponere poterit. Ergo moderatus ejusdem uſus ſit oportet, & quidem parcior tempore contagiorum; (uti omne ſorbitionum ferventium genus) vitetur autem omnino in morbis ipſis acutis, exanthematicis.

§. XL.

Alter Purpurae fons a cl. *Hofmanno*, *Seipio*, aliisque, prodigus cenſetur aromatum exoticorum, acrium, in cibariis uſus. Ex eo enim tempore, quo abdicata proavorum noſtrorum ſimplicitate, in luxum defluere, omniaque deliciarum genera, excuſſo jam patrio ſolo, ab Indis congerere inſtituimus, guſtusque, quem ſublimem vocant, (*le haut goût*) dominari coepit; haec gulae blandimenta, morbum hunc inter Germanos frequentiorem, maligniorem & epidemicum reddiderunt.

Diaeta ergo ſimplex, cibique e ſolis, quas humus noſtra educat, herbis parati, & ſale vel aceto conditi, ad praevertendam corporis noſtri diſpoſitionem ad morbos acutos exanthematicos requiruntur. Plura de his, ubi de ingeſtis ſermo fiet. Generalia haec ſolum ſunto curae miliarium praeſervatoriae praecognita.

§. XLI.

Jam ad ſpecialiora, — Propagatur ut plurimum miasma tale morboſum, mediante *Aëre*;

dum

dum vel inſpiratur, vel ſalivae involutus deglutitur, vel a corporis noſtri poris reſorbetur. Ergo eo intendenda cura, ut aër, in quo vivimus, a particulis hujusmodi fatalibus liberetur, ſtatui naturali ſano, quantum licet, reddatur, ejusque inquinatio ulterior praepediatur. Aeris ſalubritatem optime ſervat, ſollicita munditiei, tam publica, quam privata cura. Egregia hujus rei exempla nobis dederunt Romani. Nullae hic per plateas ſordes; & ſi quae, per effoſſos a Tarquinio canales, Tiberi mandabantur. Mortuorum cadavera, ne intra moenia ſepelirentur, vel cremarentur, lege XII. tabularum jam cautum fuerat: quin ipſa veſpillonum, aliorumque, quibus circa defunctorum corpora verſari munus erat, domicilia, extra Urbem eſſe jubebantur. Aquarum, rerumque omnium eſculentarum, venalium, munditiei, publica auctoritate proſpiciebatur. Dum in plurimis Gueſtphaliae, quin in aliis quoque magnorum nominum locis, nauſeoſa ſordities ubique regnet. Circumfluunt ſtercoribus plateae, plantataque ad vias & vicus ſterquilinia, (quibus alibi elevata in ingentes moles fimeta accedunt) & rejecta in locos publicos urbis repurgamenta, foetidam ſemper mephitim ſpirantia, ſaniſſimum certe aërem inficiunt. Experti hoc ſunt Aquarum mortuarum (*Aigues Mortes*) incolae; qui, dum obturato hujusmodi ductu, ſqualores urbis evacuante, aëre maleſano plecterentur; readaperta hac foſſa, ſtatim multo melius habuerunt, auramque priſtinam ſanam recuperarunt, vid. Mſr. *l'Abbé Richard Traité ſur l'air* P. IV.

Non in urbibus ſolum, ſed in ipſis quoque templis humantur, ex peſtifera quamvis & perniciosiſſima lue defuncta cadavera; poſt multa luſtra forte, eandem urbi luem reddituta (g). Sed horum omnium abrogatio, quum inter pia deſideria pertineat, nunquam explenda; tranſimus ad ea, quae unus forte & alter exſequetur.

Ipſe jam inquinatus aër, vario modo corrigitur. Antiquitas ad corrigenda atmosphaerae vitia, ignes ubique magnos fieri juſſit, idque cum ſucceſſu. Cautos tamen nos circa imitationem hujus experimenti eſſe jubet dubius ejusdem & triſtis omnino *Toloni* & *Londini* effectus. Reſtringendus ergo ignium uſus medicus ſolum ad renovandum vel corrigendum in domibus noſtris aërem. Crepitent ergo in conclavibus, ſub aperto

(g) Memorat cl. *Vega* memorabilem hujus rei caſum, ubi prodiens ex aperto ſepulcro, halitus foetidus, venenoſus, nonſolum veſpillonem, ſed ejus quoque fratrem, aliumque quendam, his ſuppetias laturum, interfecit. — Legitur aliud in *Londons Magazine* anni 1752. Menſ. Septembr. exemplum. — Aperit Veſpillo Chelwoodenſis ſepulcrum, in quo enectus ante 30 annos variolis, vir decubuerat. Sarcophagum, ex quercu paratum, illaeſum adhuc, pala findit, exitque ex hoc foramine foetor teterrimus. Frequens exſequiis inſequentibus adeſt populus. Ex his quatuordecim domum reduces variolis infeſtantur, & intra triduum, ex iis, qui hoc morbo nondum decubuerant, ſanus ſuperfuit, ſi duos exceperis, nemo. Propagatum brevi per totam viciniam contagium, pagos quoque confines infecit.

to camino, vel alibi, accenſa juniperi, fraxini vel abietina ramenta, fruticesque alii, qui vivam alacremque generant flammam. Mundat aërem accenſus in clauſo conclavi pulvis Pyrius. Hic particulas ſulphureas, nitroſas, acidas, in aëra diſpergendo, inquinationem praevenit, factam corrigit, aëremque nova elaſticitate beat. Huic quoque ſcopo facit incenſi ſulphuris fumus. Egregium hoc eſt aëris correctorium. Adhiberi quoque alia ſolent ſuffumigia ex maſtiche, olibano, thure, ſuccino, baccis juniperinis, lavendulae, roſarumque floribus. Optimum tamen omnium erit putridorum halituum antidotum *Acetum*; quo conſpergi ſolum, cujusque vapores per aërem diſtribui poſſunt. Fit hoc, dum vel ferrum candens, vel ſilices igniti aceto immittuntur, vel ipſum acetum candentibus lateribus ſuperfunditur, vel dum ſubjecto igne, in vaſe aperto decoquitur acetum, ſicque continuo in auras ejiciuntur exhalationes medicatrices acidae.

Sequuntur *Ingeſta*. Si unquam, certe contagiorum tempore aurea omnibus commendanda ſobrietas, omnisque ingluviei ſollicita fuga. Helluones enim, iique, qui ebrietate immoderataque potuum ſpirituoſorum ingurgitatione infectionis pericula arceri credunt, falluntur egregie: primi erunt, qui corripientur. Exulent ex cibis omnia, quae vel per ſe cito putreſcunt, vel putridam ſanguini mixtionem conciliare poſſunt. Carnium hoc tempore nimius uſus, juſcula pinguia, conſummata, gelatinoſa; piſces, praeſertim qui oleo pin-

gui, facile ranceſcente carnibusque mollioribus praediti ſunt, lacuum, piſcinarumque quieſcentium, anguſtarum paludoſarum incolae, ut ſunt anguilla, muſtela, tinca, brama, ciprinus paluſtris, alii; accedunt oſtreae, mytuli, qui citiſſime putreſcunt, variique alii durioris concoctionis cibi: larda, carnes ſuillae &c. Haec ad unum omnia nocent. Contra, leves ſint cibi, eupepti, vegetabiles, aceſcentes; proſunt vina rhenana, moſellana, modice ſumta, omnisque generis acetaria. Cl. *Harris* ſuccum citri ad prophylaxin morborum putridorum ſuadet; cui alii, ideo quod coctricem ventriculi vim deſtruant poma citrea; Sinenſia anteponunt. cl. *Pringle* mala aurantia praefert. *Sylvius* & *Diemerbroeckius* acetum vini commendant, praeferendum omnibus. Confert quoque fumus tabaci.

Veſtimenta quibus utimur idonea nimis ſunt ad ſuſcipiendum, quod in aëre natat, venenum, illudque corpori communicandum; praeſertim ſi hiſpida fuerint, lanea, vel ferarum velleribus aliisque exuviis dupla. Hinc tutiores erunt epidemiarum tempore, veſtes ſericeae, glabrae, vel lineae, aut cotoneae, laevigatae, aqua pura, non ſapone lotae. Idem circa linteamina obſervandum. Aceto conſpergere induſia, fumoque ſulphureo, vel alio aromatico, luſtrare veſtes juvabit. Quibus manu tractare aegrotos iisque propius adeſſe officium eſt, his manus aceto lavare unciamque ſubinde dimidiam aceti haurire expedit. Canibus felibusque circa infectos multum verſatis, vel in co-

rundem

rundem cubiculo aut lectulis degentibus, multum adulari, eosque ſinu fovere, periculoſum eſt. Saepe hujusmodi animantia per integras vicinias transportant, pellibus ſuis inhaerens miasma. Mirabilis ſane caſus ille erat, quem ante aliquod tempus publicae dabant novellae: Translatum in regionem valde diſſitam peſtiferum miasma per cornicem infectam referebant; quae cum in arboreto conſeſſa caperetur, omnibus quotquot manu avem hanc tractaverant, ferale hoc venenum communicavit.

Somnus contagii tempore modicus ſit. Nimius corpora laxat, motusque vitales minuit: quum contra excedentes modum vigiliae ſanguinem effoetum reddant, ſolvant, particulisque gelatinoſis unientibus privent: Unde minor cohaeſio, ſpirituum citior difflatio & diſpoſitio propior ad morbos ſanguinis ſolutorios putridos.

Vitentur ſollicite omnia *Corporis Exercitia* vehementiora, ſudores moventia, venatio, curſus, equitationes, ſaltationes longae, nocturnae, praeſertim ſi Anglorum, vel Suevorum ritu fiant. Hae corpora nimium fatigant, ſanguinisque exaeſtuationes producunt Leviter ſolum moveatur corpus, non ad ſudoresusque, modo ut perſpirabile ſervetur

Excretiones corporis ſolitae curentur ſollicite. Tranſpirabile corpus ſit, & aperta alvus. Utrumque ſi turbetur, levibus excitare adminiculis confert. Saliva frequentiſſimum cujusvis contagii vehiculum, dum deglutitur; exſpuatur ſaepe. Eliciunt

ciunt illam maſticatae radices angelicae, enulae, pimpinellae, helenii, cardamomum, myrrha, calamus aromaticus, corticesque aurantiorum conditi & nicotiana. Narium mucum expellit ſternutatorius pulvis, vel compoſitus officinarum, vel ex ſolo tabaco. Purgantia, graſſantibus morbis exhibendi, auctor non ſim; metu citioris infectionis. Nocent eſſentiae bezoardicae, alexipharmacae, calidae, omniaque ſudorifera proprie dicta. Rhabarbarum confert refracta doſi quotidie ſumtum. Cortice peruviano nuptum Rheum, & vino infuſum Rhenano vel Moſellano probatae virtutis eſt.

Mens tandem ſerena ſervetur; quum meticuloſi primi ſemper cenſeantur malignorum morborum candidati.

Exemplum novi Matronae, quae dum graſſante dyſenteria peſſima, de ſuſcipiendo contagio nimis ſollicita, triſtibus hujusmodi cogitationibus diu noctuque ageretur, tandem de commeſto a ſe pruno ſemimaturo ſomniat; Pavida expergeſit, angitur, ſurgit reapſe dyſenterica. Hinc in morbis quoque ut alias.

Aequam memento rebus in arduis ſervare mentem.

Forte hic ſpecioſum alexipharmacorum medicaminum apparatum exſpectaſti lector? Vita ſobria, ſimplex

ſimplex, aequalis, rerumque non naturalium cautus uſus, optimum prophylacicum.

Haec ſunt, quae quoad contagii hujus hiſtoriam, prognoſin, curam & prophylaxin quanta fieri potuit brevitate, ex captis obſervationibus notare, TEcumque L. B. communicare conſtitueram.

Cedant haec in Summi Numinis gloriam.

OBSERVATIONES MEDICAE

CIRCA

F E B R I M

SCARLATINO - MILIARIEM ANGINOSAM.

Epidemiarum fidas accuratasque hiſtorias inſignem ferre in medendo opem, nemo erit qui dubitet. Quantus autem cunque fuerit, qui in artem Medicam ex his redundat fructus; ipſae tamen obſervationes ſpeciales clinicae proſunt medenti magis. Hae, prima fuerunt ſoteriae artis rudimenta. His vaſtum Medicinae hodiernae aedificium ſuperſtructum eſt. Viam praeivit antiquitas. Quid enim Tabulae illae votivae Deorum fanis olim appenſae, quam morborum ſpecialium atrocium, iisque adhibitorum cum effectu remediorum recenſiones? ex quibus congeſtam maxime Coi immortalis medicinam ferunt (*). Crevit ab hoc

(*) Scio equidem & alias fuiſſe Votivarum Tabularum ſpecies; quibus vel ſolum Numinis Servatoris

hoc tempore eo magis ars medica, quo fideles magis & adtenti fuerunt in capiundis obſervationibus Medici. Languit, languente, obſervatorum ſtudio: Decrevit, creſcente hypotheſium farragine; dum verba rebus; caſſaque ratiocinia experientiae praevalerent.

Haec ratio fuit, cur deſcriptioni Epidemicae hujus conſtitutionis & caſus aliquot adjunxerim; non quidem omnes aeque raros; ſed ſufficientes tamen ad veram morbi indolem, decurſum, laudatorumque remediorum effectus perſpiciendos. Ad grabatos aegrotantium ſic quaſi deducti, videmus: Quid morbus, quid medicus egerit? Quid adhibitum fuerit? Quo ordine? Quid cum? quid ſine ſucceſſu? Caſus

ris inſcriptum nomen erat; quales *Gruterus*, *Reineſius* aliique memoriae prodiderunt; vel qui Dei vel Deae nomen, ſimulque morbum, ex quo convaluerat aeger continebant; cujus generis ſpecimina apud *Valerianum*, *Sponium* &c. proſtant. Hic autem primarias illas ſolum notatas volo, quae reſtitutorum nomina, morbi hiſtorias, effectusque remediorum continebant, quarum Pauſanias meminit in Corinthiacis ſ. Libr. II. Cap. XXVII. Verba haec ſunt: Ταύταις (ſc. columnis ſ. tabulis) ἐγγεγραμμένα καὶ ἀνδρῶν, καὶ γυναικῶν ἐστιν ὀνόματα ἀκεσθέντων ὑπὸ τοῦ Ἀσκληπιοῦ, προσέτι δὲ καὶ νόσημα, ὅτι ἕκαστος ἐνόσησε, καὶ ὅπως ἰάθη. Elegantem hujusmodi votivam tabulam marmoream ex *Smetio* cl. *Hundertmark* aere inciſam exhibet, in libr. de Increm. Art. Med. per Expoſ. Aegr. ad pag. 61.

Caſus ipſi eadem temporis ſerie, qua obtigerunt enarrabuntur. In morbi vigore collecti ſunt; exceptis ultimis. Hi in declinatione.

Caſus I.

October erat, cum ad juvenculam nobilem vocarer. Tenera haec, vivida, decennis & illuſtris Familiae prae aliis delicium, vomitu poſt coenam corripitur. Quem cum largiori forte ciborum dyſpeptorum ingeſtioni adſcriberent Parentes, non magis curabatur, quam natus poſtridie in ſummo gutture dolor, quem ex frequenti & per totam praegreſſam noctem continuo vomitu profectum, non ſine veri ſimilitudine arbitrabantur; cum de ſuſcepto, quod per viciniam vagabatur, contagio, ne ſuſpicio quidem adeſſet. Hinc non niſi tertia die, febri jam inſigniter furente inflammatisque per totum ambitum & tumentibus faucibus conſilia admiſſa & tentata applicatis externis, exhibitisque a chirurgo vicino medicamentis, internis cura. Augebatur interim malum, naſcebatur delirium, pergebat ad minimam ingeſti liquidi guttulam vomitus; ſicque inter varias viciſſitudines tranſibat inſomnis omnino & turbulenta nox. Sequenti die (quartus erat morbi) ſub meridiem aegrotam vocatus adii, eamque inquietam admodum, continuisque jactitationibus ſummopere fatigatam inveni. Conſtans jam erat & animi affectibus ſtipatum delirium, ſubinde per tria quatuorve horae minuta remittens, iterumque redux.

Rube-

Rubebat purpureo colore collum, pectus & humerus; cutique hic & illic adſperſae erant miliares papulae. Vacillabat pulſus, manibus floccos legebat muſcasque venabatur. Rutilabant pulverulenti & torvum tuentes oculi; ſqualidae labiis adjectae cruſtae, os; viſcoſum gluten dentes obſidebat. Pergebat moleſtiſſimus vomitus. Silebat omnino urgens antea faucium dolor, quarum inſpectionem delirium vetabat. Deglutitio vix non impoſſibilis erat. Urina citrina, tenuis, pellucens, & lenta excernebatur, odoris nauſeoſi, foetidi. Verbo, ſigna aderant conclamatae jam cauſae. Acerbum itaque tuli prognoſticon, quod intra Nycthemerum eventus probavit. Brevi enim poſt ſtridebant dentes, aliaque ſpasmorum internorum indicia ſeſe manifeſtabant. Poſt haec vox primum rauca, indiſtincta, dein aphona eſſe coepit. Tandem convulſa ſuccubuit, tentatis, ut parentum deſiderio ſatisfieret, ſed incaſſum, quae ars miniſtrat, tam internis, quam externis praeſidiis.

Nota. 1°. Hic, quinta demum dies vomenti fatalis fuit; plethoricis autem, adultis, robuſtis, vomitu a morbi principio correptis, quarta ut plurimum dies mortem jam attulit. His ſine dubio ventriculi inflammatio adfuit.

1°. Arcem hanc ruſtica frequentabat; cujus infantes morbo hoc miliari, ſed leviori, decumbebant. Probabile ergo, miasma hoc ferale, veſtimentis memoratae mulieris inhaerens,

nobi-

nobili huic virgini ſic communicatum fuiſſe; cum vel per literas ex infecto loco miſſas, hujusmodi contagia transferri poſſe, & effective translata eſſe; experientia conſtet. De Variolis, per literas a fratre alibi degente, ſorori ſuae communicatis exemplum notavit cl. *Werlhoff* Tract. de Var. & Anthr. in not. ad n. 36. p. 17. His confer, quae in antecedentibus §. XLI. ſub veſtimentorum titulo, dicta ſunt.

3°. Morbus hic adeo contagioſus fuit, ut quisque fere, qui aegrotanti propius adfuerit, eadem lue corriperetur. Ambae enim, quae adhibitae fuerant, puellae ſervae; virgo quaedam vicina quae aegram viſitatum venerat; quin ego ipſe, diro hoc morbo implicabamur omnes. Virginem jam memoratam, peruvianus cortex ex noſtro conſilio reſtituit. Quid in me egerit morbus, ſequens caſus docebit. Vide quae in notis ad eundem caſum, No. 1. 2. & 3.

Caſus II.

Ab itinere, ſub veſperam, aëre ſicco, & (ut eo anni tempore ſolet) frigidiori, vento Vulturno, redux, ſtatim jam incommodam, nec notabilem tamen faucium ingratam ſenſationem querebar, ſolitoque magis brevi equitatione laſſatus, ſumta leviori coena ivi dormitum. Poſt trihorium expergefactus, ſiti exquiſita, fauciumque dolore lancinante,

nante, ad deglutionis nixum aucto, ſimulque jam febri me correptum ſenſi. Largam itaque potus theae copiam, citri ſucco acidulatam, pro fallenda ſiti, ſed fruſtra hauſi, ſtragulisque leviter tectus recubui. Nulla inde vel minima tranſpiratio, ſed ſiccus ſolum corporis aeſtus. Somnus interdum rediit, ſed gravis & interruptus, ad lucem usque. Jam magna febris ſumſerat incrementa, cui nihil tamen oppoſui, niſi tincturam florum papaveris erratici acidulatam, cum nitro. Collo externe admovi Cataplasma ex ſeminibus ſinapi cum aceto tritis; Gargarisma ex ſoluto oxymelle fuit. Pulſus jam multus, celer, ſed ſolito contractior erat. Potus frequens & largus fuit, ex avena decorticata, cum ſucco citri. Tranſiit ſic inter faucium capitisque inconditos dolores & intolerabilem corporis aeſtum, ac ſi fornaci candenti obmoverentur partes, ſitimque inexplebilem, prima dies.

Sub noctem, auctis circa nonam ſymptomatibus, rejecto ex ſinapi cataplasmate, urgentibus quam vehementiſſime doloribus, ſpiritum ſalis armoniaci, oleo amygdalarum mixtum, cum panno laneo, calido, applicavi externo collo; ſed ſine vel minimo effectu. Nox reliqua inſomnis fuit, turbantibus quietem continuis pavoribus.

Auxerat inſequens ſecunda dies febrim, pergebatur in medicamenti jam memorati antiphlogiſtici uſu. Pulſus frequens, magis velox & ita contractus fuit, ut filo ſerico major tangenti digito

non videretur pulſans in carpo arteria. Soporoſa haec dies fuit & obnubilata mentis alacritas; urina ignea erat, potui ſumto proportionata, multa. Adhibebatur jam ad ſuppurationem inflammatarum faucium promovendam, gargariſma emolliens, ex Radicibus glycyrrhiſae & altheae, ex floribus ſambucinis, aliquot ficubus in aqua coctis, addito melle Roſarum. Collum externum Cataplaſma tegebat ejusdem generis.

Sub veſperam dolor, tumor & inflammatio faucium major, deglutitionem fere impoſſibilem reddebant. Noctu exacerbata febris ſomnum omnino arcuit. Sub dilnculum ſpiritus anxie meare, praecordia uri & mens ſine externa cauſa opprimi & angi coepit. Pulſus parvus, velox, inaequalis, intermittens, inquietudo major, capitis gravitas eximia.

Pomeridianis horis, poſt leviuſculas praegreſſas horripilationes, ad carpum primo erupturorum exanthematum vidi primitias. Rubeolorum ad inſtar maculae prodibant, brevi poſt duriuſculi quid ſub cute ſumma prodentes, ſine notabili pruritu. Examinatum collum non rubedinem ſolum ſcarlatinam, ſed elevatas quoque papulas, minutulas, albicantes, a cataplaſmate prolectas, oſtendit. Febris interim augebatur, faucesque ab inflammato tuorem ita obpilabantur, ut vix oris aperiendi, nedum deglutiendi, ſaltem ſine ſummis cruciatibus ſupereſſet facultas. Omnibus his Otalgia

gia acceſſit vehementiſſima caput maxime turbans. Arteria jam ad tertium vel quartum pulſum, ſaepe ſemel, ſaepe bis ſiluit, quoad reliquum & magnitudine & velocitate inaequalis. Urina ſaturate rubra, oleoſa, quaſi icterica fuit, ſed transparens. Sub veſperam idearum ſeſe confuſio & irregularitas oſtendit, oculosque obvolitantium muſcarum aliarumque icuncularum illuſit idea, noctu ad delirium usque aucta. Datus forte hoc tempore ex acidorum ceraſorum decocto, potus. Cujus, cum ſenſibus omnino alienatus, avido gutture, plus quam libram ſimul & ſemel frigide hauſiſſem; vehementiore ut videtur ſanguinis ebullitione moderata, rationis uſus ad tempus rediit, ſtatimque Emplaſtrum Veſicatorium largum nuchae applicavi; quod, dum pulvere cantharidum inſuper adſperſum, cito in veſicam attolleret ſubjectam cutim, capiti inſigne allevamentum tulit, tam quoad dolores, quam ratione delirii; quin tolerabilior quoque fuit citiusque peracta incipiens jam in faucibus ſuppuratio, quam ope Siphonis injecto ad abſceſſus rupturam usque, emollienti decocto, promovi.

Corpus interim univerſum igneo ſcarlatino colore candebat, dolorque acicularum inſtar pungens totam pererrabat cutim. Pulſus, ut ante, contractus, velox, inaequalis omnino, & intermittens quam maxime fuit; eodemque hoc die (quartus erat morbi) ſub veſperam, emerſerunt circa totum collum papularum miliarium prodromi.

Hinc, cum peruvianum corticem hoc genus efflo-reſcentiis mederi obſervaſſem; quid in me acturus eſſet experiri ſubiit mentem. (non enim corticem hucusque huic morbo adhibueram) Corticis itaque electi, teneri, ſesqui unciam, ad colaturam decem unciarum in aqua decoqui, ſeminaque frigida in hoc decocto emulgeri juſſi; huic nitri drachma adjiciebatur. Magna interim febris urgere, pulſusque velociſſimus & inaequalis eſſe perſtitit. Sub noctem aucta rurſus ſenſuum internorum confuſio quaſi ebria; externorum hebetudo. Inquietudo rediit, capitisque dolor gravativus, opprimens, vertiginoſus, ſub naſi radicem admodum moleſtus fuit; quem tamen ſub diluculum larga oborta narium haemorrhagia ſedavit. Sanguis diſſolutiſſimus fuit, poſt horas nondum concreſcens. Urina bruna lixivioſa fuit, non turbata.

Oborta quinta morbi luce, brachium utrumque internum, totumque pectus purpura alba hirtum vidi; dein tota corporis ſuperficies ſecuta eſt. Pulſus hoc die plenior fuit, ſed inordinatus admodum & velox. Alvum ſegniorem clyſma aperuit. Sitis major, ac diebus prioribus, febris eximia, artuum dolores inſignes, gravativi. Potus ex ceraſis fuit; Medicina, decoctum corticis ſaturatius, nitratum, cum ſeminibus frigidis & papaverinis emulſum. Poſt meridiem ſopor ſecutus eſt, ad noctem, dum febris recrudeſceret, protractus. Purpura hac nocte magis effloruit, alvusque quater ſoluta, ſine efflorescentiarum impedimento. Urina bruna, ſed pellucida eſſe continuavit.

Poſtri-

Poſtridie mens magis ſibi conſcia & conſtans eſſe coepit, febris ad ſenſus non imminuta, ſitis valida, artuum dolores iidem, expoſita purpura nihil levati. Jam cutis color ad naturalem rubellum rediit, manentibus tamen exanthemantibus jam purpureis, quae ad plures adhuc dies inalterata reſtabant. Continuatus corticis uſus; alvus laxior manſit; Lotium vino rhenano, quem Bleichert vocant, ſimile, quoad colorem & conſiſtentiam.

Die ſeptima febris iterum major, ſimulque gravans & opprimens dolor caput invaſit, maxime poſteriorem & ſiniſtram ejus partem, cum ſenſu ponderis, quemlibet capitis motum ſequentis. Cuticula jam tenera obduci incipiebat arroſa veſicatorio nucha; hinc eundem hunc locum (inſignis ex applicato primo, ſuſcepti commodi memor) novo emplaſtro veſicante, ampliori texi: Quod, cum magnam ſeri acris, fere cauſtici copiam eduxiſſet, capitis quoque dolores, praeſertim accedente potiuncula laxante, compeſcuit.

Aſt nova calamitas: Superato jam morbo & deſquamata per univerſum cute, furunculi corpus devaſtabant; maxime loca, applicato antea veſicatorio vicina; dein totum corpus occupabant. Expugnati hi ſunt ſolo laxante Rhabarbarino ſubinde repetito.

Nota. 1°. Lectum quotidie ſemel, ſubinde bis, ſi vires hoc permitterent, mutavi; aura interim

veſcens frigidiuſcula, & hoc ſub ipſa etiam efflореſcente purpura, ſine vel minimo damno, aut eruptionis diſpendio.

2°. Non poſſum, quin iterum repetam, non inculcandam ſatis neceſſitatem, renovandi aëris in aegrotorum cubiculis. Clauſa undique, ut moris eſt, hypocauſta, halitibus maleſanis conſpurcata, tam aegris ipſis febribus hujusmodi putridis exanthematicis laborantibus, quam iis, qui circa aegros verſantur periculoſiſſima brevi fiunt: hinc cl. *Pringle* hos ubique melius habere ex aegrotis ſuis obſervavit, qui in ſumma aedium parte ſub tecto, vel in templis decumberent, ubi lacere feneſtrae fiſſaeque parietes aëri liberiorem dabant acceſſum.

3°. Citius ego contagium ſuſcepiſſe opinor, quod poſt vehementiorem corporis commotionem, corpore adhuc aeſtuante, cubiculum aegrae anguſtum, undique clauſum, aura ſqualida inquinatum ſtatim ingreſſus, ibique diutius commoratus fuerim.

4°. Quoad Otalgiam, quam non in me ſolum ſed & in aliis quoque hoc morbo correptis obſervavi; divi ſenis augurium omnino comprobatum eventu vidi quod Praenot. XXII. 11. Coac. II. 59. dedit: *Otalgiam febri accedentem vehementi, in hominibus junioribus, die ſeptima interimere; niſi materiei puru-*

purulentae effluxus, vel haemorrhagia narium ſupervenerint.

Caſus III.

Virgo vegeta, ſana, adulta, faucium dolore impeditaque deglutitione circa ultimam lunae quadram, quae menſe Novembri incidit, vento Euro & Vulturno, aëre ſereno, frigido, corripiebatur, cum tenſione, dolore & intumeſcentia capitis & faciei, oculorumque rubedine inſigni. Quam, cum forte a Catarrho natam arbitraretur ſollicita mater; Roob Sambuci veſpertino tempore, cubitum iturae exhibuit. Febris dein accenſa, determinato magis magisque ad ſuperiora humorum affluxu, tragicam certe in plethorico hoc, vivido & alacri ſubjecto, ſcenam luſiſſet; ni erumpens ex naribus ſanguis copioſus, eodem die magnum attuliſſet levamen.

Tertia die exanthemata prodierunt numeroſa, ſine majori aegritudine; redditumque eodem hoc tempore, anticipatum quamvis lunare tributum, largum, & febrim & omnem morbum ſimul abſtulit.

Deſquamabatur poſt paucos dies elevata morbo cuticula, relictasque forte in maſſa ſanguinea impuritates, protracta per plures dies, natura auctore, diarrhoea, eliminavit; ſicque in hac aegra, binis his ſucceſſive motis haemorrhagiis largis, di-

rum alias morbum, absque aliis adhibitis remediis ſeriis, ſanavit omnino & perſanavit.

Nota. 1°. Obſervavit quoque ill. Viennenſium medicus *de Haen*, levari exanthematicos morbos fluentibus catameniis. Rat. Med. Part. V. Cap. I. caſ. 2.

2°. Secuta eſt & in hac quoque aegra, quod in aliis pluries jam obſervavi, menſium irregularitas, dein ſponte rurſum ceſſans.

3°. Quamquam in noſtra Epidemia, narium aeque haemorrhagia, ac catameniorum eruptio ſaluti fuerit; dantur tamen exempla, funeſti horum evacuationum eventus, in aliis epidemiis. Sic in morbo illo epidemico, exanthematico, qui Mansfeldiam a. 1697. vaſtavit, supervenientes quinta die, hujusmodi Haemorrhagiae, die 7ma lethales fuerunt, v. *Stagmann* Hiſt. Epid. Mansf. p. 315.

Caſus IV.

Puella ſerva, ter ſeptimum agens annum, finita vix menſtruatione in eundem hunc morbum, per contagium incidit. Sextus jam agebatur dies, ex quo faucium inflammatione & febri laboraverat, tertius poſt exanthematum eruptionem, ſecundus poſt natum delirium, cum vocarer. Dederat ſubinde antiſpasmodicum pulverem cum liquore Hoffmanni anodyno hera, ſed absque fructu, dataque jam

fuerat

fuerat potiuncula antiphlogiſtica. Lecto affixam inveni, mentis tum quidem compotem, ſed revertentibus poſt pauca horae minuta, deliriis (ut referebatur) tanto gravioribus. Oculi ſine ulla labe ſereni, & uti ſani ſolebant, alacres erant & vividi, nulla conſpicua in illis, familiari alias huic morbo, rubedine vel inflammatione. Pulſus moderatus, plenus, aequalis & conſtans, inſtar ſaniſſimi, urina citrina cum levi enaeoremate, in miculas quaſi albidas ſparſim per lotium diviſo, lingua florida erat, & nulla, quod in aliis obſervaveram, cruſta viſcida obducta. Faucium dolor, tumor, deglutiendique impotentia ceſſaverant. Exanthemata pauca tantum circa cubiti flexuram, ubi vena tundi ſolet, aderant, eorumque ſingula collum & pectus occupabant. Color cutis rubellus erat, naturalis. Veritus ego, ne admotum nuchae veſicatorium (quod factum jam videram) determinatam jam illuc materiam magis ad ſuperiora alliceret; emplaſtrum veſicatorium largum ſurae adjeci, quid effecturum ſit, tentaturus. Interim tincturam papaveris, cum nitro, & acido minerali praebui. Sub veſperam, bullam Cantharides elevaverant, ſero acerrimo plenam, ſine delirii levamine. Pulſus plenior erat & aliquantum tardior, ſitis nulla. Largior quoque, circa collum, pectus & brachia, exanthematum eruptio. Alterum jam addebatur veſicans emplaſtrum, ſurae vacuae applicandum. Quid autem? Poſt noctem admodum inquietam, ſub diluculum, graviter convulſa moritur.

Nota. 1°. Non alium in finem caſum hunc addidi, quam ut praeſentiſſimum, quod ſub optimis ſaepe ſignis latere ſolet, periculum, inde pateret: ne apparentibus his, quoad ſenſus, bonis auguriis fruſtrati, prognoſticon fermus laetum, morte jam fores pulſante.

2°. Aër totius morbi tempore nebuloſus, dein pluvius fuit, cum vento Africo & Zephyro; diesque decretorius plenilunium anteceſſit.

3°. Eadem hac nocte ab XI. ad XII. Decembris aliquot adhuc eadem hac febre laborantes infantuli hic loci obierunt, reliquique hoc morbo decumbentes adulti, quam peſſime habuerunt.

4°. Idem hic pulſus, tardus, aequalis, *Hippocrati* noſtro impoſuit. Epidem. Sect. I. Aegr. 2. Hinc *Riverius* quoque pulſus ſanorum ſimiles in morbis acutis admodum periculoſos renuntiat. Prax. Med Libr. XVI. Sect. III. cap. I. Lethalem quoque tardum hujusmodi & naturali ſimilem pulſum, in febre Veſalienſibus epidemica, maligna, notavit cl. *Hannes*, ſ. Brief an Herrn *Baldinger* p. 44. Idem obſervavit Londinis cl. *Barcker* in Morbo huic urbi 1741. epidemico, v. *Obſervations on the preſent epidemical feaver.* Adde, quae circa pulſum hunc tardum, in Eperodiarum febre epidemica a. 1742. obſervavit cl. *Allion* Loc. ſaep. cit.

5°. Ma-

5°. Mali, immo peſſimi ominis, vidit quoque reverendus ſenex, delirii rationisque viciſſitudines, frequentes, citas, in Eryanactis filia vid. libr. de morb. vulg. III. ſect. II. caſ. VI. nec non caſ. XI. caſ. XII. it. ſect. III. caſ. II.

Caſus V.

Virguncula ſexennis de acri faucium dolore & praepedita deglutitione querebatur, cum appetitu proſtrato, vomitu, pavoribusque ſomnum interpellantibus. Sequenti die febris aderat, cum vigiliis, torpore, reliquisque communibus huic morbo ſymptomatibus. Pulſus citatus, ſed aequalis tamen fuit. Tertia die exanthemata purpurea prodibant, primo circa collum, dein per univerſum corpus, numeroſa, ſed ſine ullo ſymptomatum levamine. Fauces ſummopere rubebant. Nox ſubſequens inquieta admodum fuit. Die quarta natus ptyalismus morbum inſigniter levavit. Ceſſavere magnam partem faucium dolor & rubedo. Exanthematum pergens eruptio multo moderatior facta, febrisque ipſa eadem hac die jam imminuta. Continuavit auctius hoc ſputum ad purpurae exſiccationem usque, & ſic aegra haec ſine notabili artis auxilio ſanitati reddita eſt. Aër morbi tempore ſerenus fuit, cum gelu. Ventus Africus.

Poſt victum morbum Leucophlegmatia inſignis totum qua patuit corpus occupavit, per exhibitum

tum per epicraſin laxans, intra paucos dies curata.

Caſus VI.

Puella nubilis, pleniuſculi habitus, mollis, plethorica, menſium ataxiae jam ab aliquo retro tempore obnoxia, poſt transactam noctem in curanda ſorore, quae eodem hoc morbo decumbebat, domum redux, ſtatim jam gutturis dolorem lancinantem queritur; dolet caput, delaſſantur membra, eademque jam die febricitat.

Poſtridie omnia exacerbantur. Febris, angina, cephalalgia, ruunt in pejus, fauciumque inflammatio increſcit. Sic, ut gangraenam cito futuram enormis rubor, aeſtuansque ſimul vehementiſſima febris praeſagirent. Applicabatur hinc nuchae veſicatorium amplum, tam ad cavendum delirium, quod ante fores eſſe, tardior ſolito loquela, mensque hebes indicabat; tam ad aliqualem humorum a loco affecto revulſionem. Pronum collum cataplasma tegebat emolliens, Gargarisma, infuſum ſambucinum cum melle; medicina Corticis peruviani ſescuncia fuit, in aqua decocta, cum amygdalis emulſa, cui nitrum adjiciebatur, ipſiusque corticis extractum. Aëris hac die temperies pluvioſa fuit, flante Zephyro. Potus avenaceus acidulatus praeſcribebatur.

Tertia inſequens dies admodum laborioſa aegroeat fuit, fauciumque increſcens inflammatio dolores

ad

ad inſaniam fere auxit. Urgebat vehemens otalgia, opprimebatur caput, hebeteſcebant ſenſus, febris pene cauſos fuit, cum pulſu parvo, celeri, frequenti & inaequali. Lingua ſordidiſſima, dentes inviſcati viſi. Corporis accedebat inquietudo & jactitatio continua. Urina ſaturate rubrum, lixivioſum colorem monſtrabat. Alvum hodie a triduo ſiccam, enema aperuit; unde ter ſoluta eſt. Continuabatur corticis uſus idemque potus. Tempus pluvium fuit, ventus Zephyrus, Plenilunium.

Die quarta alvus lubrica eſſe perrexit, febrisque exquiſitiſſima vires adeo fregerat, ut gargariſmate amplius uti non poſſet. Hinc Siphone injectum ex ſambuci floribus infuſum mellitum. Pulſus contractiſſimus fuit, languens, nec minus velox & irregularis ac heſternus. Vitalium jam urgebat aeſtus, praecordiorumque ominoſa anxietas. Potus ex memoratis ſupra acidulatis fuit. Medicina, ex unciis duabus corticis, in libra aquae coctis, cum una drachma nitri, & tartari vitriolati pauxillo data, cui ſuccus citri acceſſit. Rubuit jam totum corpus, erupitque ſub veſperam purpura, ſed parca. Urina unctuoſa fuit, bruna, non hypoſtatica; tranſpiratio corporis ad ſenſus nulla. Aer humidus eſſe perrexit cum vento Africo.

Quinta morbi dies, obruptum in gutture abſceſſum, quoad dolores exquiſitos tolerabilior fuit, & deglu-

deglutitio liberior. Febris eodem tenore decurrit, pulſus plenior quidem, ſed velox & inaequalis manſit, ſitis multum operis faceſſit. Nox antecedens admodum inquieta fuerat, uti & praegreſſae, ob febrium exacerbationes. Urina ſaturate rubra, alvus lubrica, transſpiratio ad ſenſus nulla. Potus & medicina eadem fuerunt, Aër nebuloſus erat, ventus Subcircius.

Sexta dies quoad febrim ſerenior fuit, caputque magis depletum. Doluit hodie vehementer cantharidibus eroſa cutis, ſerumque jam fudit acerrimum; adeo vt aquae ſtygiae inſtar, omnia quae lambebat loca, adureret. Rubuit adhuc ſcarlatino colore cutis, exanthemata non amplius prodierunt. Pulſus mollior, plenior, ſed celer & frequens erat; urina quoad colorem eadem, ſed magis diluta. Continuatum in uſu corticis. Aeris conſtitutio purior facta. Ventus Aparctias.

Dies ſeptima prioribus levior fuit optimaque jam dedit convaleſcentiae ſigna. Febris jam notabiliter diminuta. Nox tranquillo placidoque ſomno tranſierat. Mens ſerena, ſenſusque alacriores fuerunt. Redire jam ad naturalem colorem coepit rutilans ante purpureo rubore cutis. Exanthemata parca quanquam, laete tamen florebant, mox exſiccanda: & ſic ſenſim profligata ſub continuo corticis uſu febri & desquamata cuticula, ſenſim priſtinae ſanitati reddita fuit. Admodum

dum lente tamen ob regreſſam aëris intemperiem, conculcatas corporis vires recuperavit.

Nota. 1°. Corpora ſucculenta & alias ſatis perſpirabilia, in hoc morbo ne minimam quidem ſenſibus percipiendam transſpirationem ſubeunt; clauſis nimirum vel ſpasmo peripherico vel a materia peregrina, craſſiori, acri illis impacta, vaſorum capillarium oſculis exhalantibus.

2°. Ratione habita violentioris in hoc ſubjecto morbi, exanthemata perpauca prodierunt, & quidem a ſolo corticis uſu; cum in aliis, quibus cortex non fuerat miniſtratus, ubique cumulatiſſima miliarium efflореſcentiarum ſeges ſub iisdem circumſtantiis eruperit.

3°. Continuatus in hac puella poſt victum penitus morbum, corticis Rhabarbaro mixti uſus, ſolita in aliis ſucceſſoria mala potenter praecavit.

Caſus VII.

Juvenis vicenarius, robuſtus, cetera ſanus, febri hac anginoſa decumbens, quarta morbi die erupto jam colore ſcarlatino, natisque jam ſparſim efflореſcentiis miliaribus, ut tenſivos & incommodos maxime crurum brachiorumque dolores mitigaret, balneum illis applicare conſtituit.

In

In quod, cum officioſa (nimis ut eſſe ſolent), mater, ſtatim conſenſiſſet, & neceſſaria huic ſcopo curaſſet; aquae calenti, ſale culinari & furfuribus mixtae, pedes ultra ſuras immerſit; cumque, ut putabat, doloribus inde levaretur; utramque eaedem huic aquae ſalſae immiſit manum. Poſtquam per horae & quod excurrit dimidium, hoc balnei genus continuaſſet; mantili deterſus lectum repetiit. Aſt hora vix tranſierat, cum pectoris inſolita oppreſſione validisque inſuper angoribus premeretur: ſimul uterque pes, ambaeque manus quaſi paralytica jacebant.

Non multo poſt ego vocatus, juvenem deprehendi animo prorſus deſtitutum, pallida & collapſa facie, ſubtumidulis pedibus & manibus, iisque omni locomotiva facultate privatis. Pulſus debilis, inaequalis & intermittens erat. Exanthemata pectori ante jam aſperſa retroceſſerant, colorque pallidus ſubalbeſcens, manus pedesque occupabat. Hinc, ut quid cortex hic effecturus eſſet experirer; ſepoſitis omnibus, ſolum corticis decoctum ſaturatius exhibui. Seſcuncia ejus ad octo unciarum colaturam dabatur, cujus duplum fere intra nychthemeron hauſit; leves ſimul ut in artubus frictiones inſtituerentur, auctor fui. Poſtridie doluit uterque pes, doloribus ad ſenſum profundis, oſteocopis: eadem circa manus ratio obtinuit, cum quadam digitorum formicatione & ſtupore apicum. Redierat in pectore ſuppreſſa purpura. Reſpiratio liberior erat, & anxietates

ſluerant penitus. Nox inquieta tamen fuerat interrumpente ſomnum continuo terrore. Data itaque, hauſto jam decocto altero, denuo eadem corticis portio in aqua coquenda; cujus colatura turbida, tamarindis maritata, dabatur uſui. Pulſus ſequenti die plenior & ſine intermiſſionibus fuit. Nulla ſenſibilis perſpiratio, cutis aridiſſima, alvus lubrica.

Septima morbi die, pruritus valde moleſtus cutem circa pectus laceſſivit; in artubus ſparſim, ſed parca effloruerat purpura, redierat omnino motrix facultas, detumuerant artus, vividumque jam & roſeum colorem recuperaverant, ſuperſtite tamen in illis dolore acri pungente. Continuatus corticis uſus; qui hoc in ſubjecto, retrogreſſam nonſolum purpuram revocavit, ſed natam quoque ab incongrua medicatione membrorum impotentiam potenter diſcuſſit.

Aquoſa Rhabarbari Tinctura, pulſo morbo, per aliquod tempus continuata, quidquid forſan morboſi in corpore adhuc reſtitaret, ſine vi, per epicraſin expulit; neque vel minimum alicujus dein mali, reconvaleſcenti accidit, ſed ſanus & vegetus ſolitis laboribus ſuis vacat.

Nota. 1°. Repulſorum exanthematum, ex corticis peruviani uſu redeuntium, exempla quoque memorat, cl. *Haenius* Rat. Med. Part. V. cap. I. caſ. 2. caſ. 7. caſ. 12.

2°. In hoc ſubjecto languentes Naturae vires refocillando, exanthematum retrogreſſioni ſtrenue medicatus eſt, eorumque reditum promovit cortex; quum contra, protruſam vi vitae nimis actuoſae perverſoque regimine, nimiam exanthematum miliarium copiam; pari promptitudine revocet eorumque expoſitionem cum viſibili aegrotantium euphoria minuat. Videſis caſum ex his ultimum.

Caſus VIII.

Puella tricenaria major, habitus male ſani, epileptica habitualis, faucium dolore, inflammatione & ſimul febre ardente correpta, noſtrum imploravit auxilium. Habitus hujus ſubjecti externus, cacochymicus, foedum cicatricibus collum & brachia vitaque usque huc acta, (ex plebecula erat, victum mercenario labore quaerens; quibus curta nimis ſupellex, diaetae curatiorem attentionem omnino negare ſolet) de primarum viarum cruditatibus & impuritate fundatam moverat ſuſpicionem. Datum hinc laxans Rhabarbarinum, unde aliquoties dejecit. Ad compeſcendas ſanguinis ebullitiones, ſimulque morbi materiam ſubigendam, pulvis digeſtivus cum cortice maritatus exhibebatur, unde ad tertium usque morbi diem, non niſi levioribus huic morbo familiaribus ſymptomatibus, relative bene habuit. Faucium inflammationi Gargarisma ſolitum medebatur. Hac autem die inſultibus epilepticis ſatis vehe-

vehementibus bis infeſtabatur. Potus, infuſum ex ſpeciebus pectoralibus noſtrae officinae fuit. Quarta morbi die ſcarlatinus color univerſam tinxit corporis cutem, cum ſymptomatum notabili incremento, tam quoad febrim ipſam, quam ratione praecluſi pectoris, cephalalgiae, vertiginis, otalgiae, inquietudinum &c. Adveſperaſcente coelo, ſolitas paſſa eſt convulſiones epilepticas. Poſtridie purpura alba effloruit. Cortex ab hac die in decocto datus eſt, cum adjecto nitro, nuchaeque veſicatorium admotum, amplum; praeſertim cum hebetior jam mens, accedensque aſitia & continuus ſopor mentis futuram alienationem minaretur. Sexta die, poſt deliram & turbulentam noctem, convulſionibus gravem, ruptus eſt in gutture abſceſſus, inſolitam fundens puris ſanguinisque collecti copiam, cum euphoria aegrotae. Mel Roſarum dilutum abſtergendo ulceri adhibitum. Exanthemata in principio prodierunt parciſſima, dein auctiora, cum morbi reliqui nullo ad ſenſus levamine. Capitis potius oppletiones, doloresque gravativi, jactitationes, frequensque epilepſia, aegram ad extrema usque agebant. Sedes ſeptima die decoctum tamarindinatum cum manna movit, non ſine inſigni ſublevamento. Alvus ab hoc tempore corticis, tamarindinorumque decocto invicem nupto, lubrica ſervata, ſymptomata egregie minuit, aegramque ab hoc morbo tandem omnino reſtituit. Siluit ſub horum uſu per aliquot dies epilepſia, dein tamen rediit, gravis & frequens, cum vomitu multo aquoſo, urinae defluvio invo-

luntario infimique ventris motibus ſubinde ſpasmodicis. Datus exhinc corticis decoctum cum liquore terrae foliatae tartari & anima rhei maritatum, eo cum fructu, ut per integrum trimeſtre a convulſionibus ſolitis vixerit libera. Reſtituta ſic, cum ancillari rurſus inciperet, victuque ſolito lautiori, per aliquot menſes uteretur; plethorica reddita, priſtinis patuit inſultibus epilepticis; quibus mirae accedebant infimi ventris affectiones ſpaſticae, menſium ataxiae, ſanguinis regurgitationes ſolennes ad ventriculum & caput ipſum. Erupit ex naribus ſaepe pleno rivo ſanguis, decolor, ater, diſſolutus; reddebatur vomitu: quin eodem ſubinde tempore, aperta uteri vaſa ingentem vitalis liquidi copiam eructabant. Ter, quater, & amplius quotidie convellebatur, accedebat mentis alienatio periodica alvique ſegnities pertinax. Praemiſſis generalibus, corticem denuo peruvianum exhibui, tartaro ſolubili mixtum, ejusque uſum per aliquod tempus, eo cum ſucceſſu continuavi, ut iterum per menſem & ultra, ab epilepſia prorſus immunis manſerit, reliquaque mala auxiliante Deo ſiluerint penitus, ſolitis quoque laboribus rurſum vacare poſſit. Vetat interim conſtantis ſanitatis ſpem, corpus cacochymicum, victus maleſanus, extremaque in genere egeſtas.

Nota. 1°. Primus in hac puella epilepſiae inſultus, terrorem matrem habuit, natum ex ſubitaneo fragore exploſarum in vicinia, tentaminis ergo, bombardarum. — Eadem haec cauſa

poſt

poſt profligatum morbum, epilepticos motus revocaverat.

2°. Epilepſiam periodicam, tertia quaque die, horis pomeridianis, in virgine nobili, tenera, regulariter recurrentem, aeſtu vere febrili, ſudoribusque effuſis terminantem, corticis peruviani uſus intra breve tempus profligavit. Tertianam hic obtinere febrim ſuſpicabar, cui horroris & frigoris loco epilepſia acceſſerat.

Subinde hoc in tenerioribus obſervare datur. Vidit idem induſtrius Veſalienſium *Hannes*, citatusque in egregio ſuo jam laudato tractatu epiſtolari, de Purpura, clar. *Baldingerus*. Nec mirum hoc phaenomenon, neque rarum adeo eſt, ac prima quidem fronte videtur. Spasmo incipit omnis febris; non refert, quali. Periphericus ſit, levis; quem hororem vocamus; aut univerſalis, gravior; qui epilepſia audit; aut particularis, varia corporis loca, ſingula affligens; unde digitorum formicationes, oſcitationes, ſingultus, ructus, vomitus, mentis alienationes, aſthmata, dolores varii &c. tot febrium intermittentium perſonatarum larvae vel prodromi toties occurrunt.

Non ita diu eſt, quod ſpaſtice contractos & vix non ligneam duritiem indutos viderim colli muſculos; ſuffocationis, quin apoplexiae, praeſentiſſimaeque mortis pericula, aegro per

paroxyſmos minitantes. Remittebat lente partium haec ſtrictura, cum pulſu pleno, febrili, & aucta tranſpiratione. Tertius agebatur prioribus auctior hujus morbi acceſſus, hominem hunc fere jugulans, quum vocatus ego, de latente forſan ſub ſingulari hoc ſpaſmo, febre intermittente cogitarem. Eluſerat medicamentorum, quotquot adhibita jam fuerant, externorum internorumque vim, vis morbi. Terrebat mali hujus ſingularitas aegrum; terrebat magis, ejusdem ter geminus jam, & ſemper auctior reditus. Tremebat craſtinum, lethalem forte paroxyſmum, conjux, numeroſaque familia, aeger; quin ipſe ſuffocationem hujus viri certo certius futuram ominabar; niſi praevenire novum morbi acceſſum, ſaltem ferociam ejus notabiliter infringere liceret. Sola in cortice ſpes erat. Dedi hunc larga manu, ſaepeque repetita doſi. Decem ejus exhibitae per vices, drachmae, non ſufficiebant, ad praevertendum ingruentem poſtridie eadem hora paroxyſmum. Levior tamen multo fuit, deglutitionem quidem ad tempus, non tamen reſpirationem ita intercludens: Cordis quoque palpitationes ſilebant penitus.

Fregit omnem morbi violentiam continuatus divini hujus remedii uſus, aegrumque hunc intra breve tempus integerrimae ſanitati reddidit.

In

In ſpaſticis nervorum morbis adhibitum cum fructu corticem legimus a clar. *Medico*. S. Brief an Herrn Zimmermann über einige Erfahrungen aus der Artzneywiſſenſchaft, Manheim 1767. — a Dno. *Coſte*. Journal de Medicine Chirurgie & Pharmacie 1766. mois Oct. — a *Theod. Ellero*, Obſ. de cognoſcendis & curandis morbis, praeſertim acutis, Amſterd. 1766. — a cl. Hirſchel. S. Gedancken die Heilungsart der fallenden Seuche betreffend, Berlin 1767. — a M. *Lieutaud*. Precis de la matiere medicale à Paris 1766. — a Dno. *Jean*, journal de Medicine pour l'an 1767. m. Mart. &c.

Caſus IX.

Juvenis ſeptendecim annorum, tener, febre anginoſa correptus, primum morbi ſtadium ad ſcarlati eruptionem usque, quae tertia die evenit, ſine majori aegritudine tulit, quam qualem ubique hic morbus ciere ſolebat: Hac ego die advocatus, ſoporoſum illum inveni, cum pulſu frequenti, celeri & inaequali, doloribusque capitis obtuſis, gravativis: Faucium tamen dolores, morbi reliqui habito reſpectu, minores erant. Moleſtior otalgia fuit. Corticis peruviani unciam unam in ℔j aquae decoctam, cum nitro & citri ſucco recenti pro medicina dedi. Gargariſma, infuſum fl. ſambuci mellitum fuit, applicatumque ſimul nuchae

veſicatorium quum praegreſſa nocte jam per ſomnum deliraſſe crederetur.

Quarta die ſub atrociſſimis ſymptomatibus effloruit ſparſim purpura. Nox praeceſſerat delira, inſomnis, continuis corporis jactitationibus conſumta. Delirium conſtans erat & atrox, magisque meditatum & praeceps, quam die praeterita; pulſus contractus, intermittens & inaequalis; inquietudo ſumma; ſitis nulla, nullusque jam inflammatarum faucium dolor. Pertinax delirium veſicantis emplaſtri applicationem huc usque impoſſibilem fecerat; jam tamen ejus uſum coactus conceſſit. Sera veſpera, poſt praegreſſos capitis tenſivos dolores, & intercurrentia ad rabiem fere aucta deliria; absque praegreſſo illo, ab obſervatoribus indicato, haemorrhagiarum hujusmodi prodromo, pulſu dicroto; quem nullibi in hoc morbo ante ſinceras hujusmodi ſanguinis evacuationes, (quanquam ſtudioſiſſime ad haec attenderim) obſervavi; larga inſecuta eſt narium haemorrhagia. Inſignem ſimul acris ſeri copiam elicuerat veſicatorium, manente nihilominus febre exquiſita, perſiſtente delirio. Pulſus ſequenti die plenior viſus, ſed aeque frequens & inordinatus; oculi ſcintillantes, inflammati erant; lingua florida, rubella. Faucium inflammatio ceſſaverat penitus. Auxi itaque corticis peruviani doſin, eademque die, ſecundum priori addidi veſicatorium. Nox adhaec ſecuta eſt turbulenta, delira & omnino inſomnis. Hinc ſexta die cum furentem eodem tra-

mite

mite morbum urgentiaque magis magisque ſymptomata, viderem; potum ſolito acidiorem eſſe, ſaepiusque ac factum fuerat, quin non roganti etiam ingerere juſſi; ſimulque corticis memorati decoctum cum quatuor frigidis & papaveris albi ſeminibus emulſum nitroque nuptum exhibui Vix uncias aliquot hujus emulſionis hauſerat, cum ſomnus inſequeretur placidus, remitteret delirium, reliquaque ſymptomata ad viſum decreſcerent. Sequenti die ſubinde dormivit, vigilanti delirium defuit; pulſus plenior, ordinatior, ſed velox tamen eſſe perrexit. Alvus tamarindis ſoluta, urina hypoſtatica fuit. Sitis jam major, decocto avenaceo, acidulato, largiter hauſto, reſtincta eſt. Inſequens nox, ſomno parco, ſed reficiente, tranquillo, tranſiit. Febris hinc poſtridie mitior facta, cutis çolor naturali redditus, pulſus & urina relative boni fuerunt, fixis tamen adhuc exanthematibus miliaribus. Nona tandem dies, febris ultima fuit; exſiccata ſunt exanthemata, deceſſit per univerſum epidermis, ſicque ad plenariam reſtitutionem usque, corticis uſus protractus. Jam laxans Rhabarbarinum per aliquod dies ad corpus per epicraſin purgandum praeſcribebatur; ſub cujus uſu egregie valuit Simulac autem hoc remedii genus ſeponebatur, furunculi loca veſicatorio nuper eroſa occupaverunt.

Nota. 1°. Per totum morbi tempus, aëris conſtitutio procelloſa continuisque imbribus ſtipata fuit; flantibus Coro, Zephyro vel Favonio.

2°. Magna veſicatoriorum vis humorum derivativa vel exinde patet, quod perſanatis jam ante duplex decendium laceſſitis cantharidum ſtimulo locis; omne tamen maſſae ſanguineae inhaerens adhuc impurum, non niſi ad eadem haec loca, veſicantibus prius notata, fuerit depoſitum. Conf. his Caſum II.

3°. Veſicantia in aliis dein aegris ſtatim ac vocarer adhibui, absque ulla delirii forte timendi habita ratione. Nec unquam, ſine notabili totius dein morbi allevamento vidi applicata.

Caſus X.

Juvenis tredecim circa annorum, plethoricus, vegetus, alacer, faucium inflammatione & ſimul febre corripiebatur, tempeſtate frigida quidem, ſed nivibus copioſis notata. Sequenti jam die, nocte inquietiſſima praegreſſa, corpus ſcarlatino rubore perfunditur absque ullo levamine. Pulſus celer fuit, frequens & plenior multusque ex naribus profluit ſanguis. Acceſſit vomitus per quam moleſtus. Tertia die novus hoſpes priori acceſſit, purpura nempe, quae in collo, pectore & brachio admodum numeroſa prodiit. Caput hodie, totaque facies intumuit, alteraque & quidem copioſa ſecuta eſt narium haemorrhagia, cum aliquali ad tempus levamine. Alvus reſpondit, febris magna fuit. Sera veſpera, mente nonnihil alienatus con-

vellebatur, ſtridebant dentes, quin artus quoque ſpasmodicis motibus detinebantur. Datus, qui ad manus erat, antiſpasmodicus Halenſium pulvis cum aliquot Liquoris anodyni Hoffmanniani guttulis, cujus per noctem ſubinde repetita doſis. Nec redierunt quoque memorati jam ſpasmodici motus. Pulſus plenus, celer & frequens fuit. Tempeſtas humida, ventus Africus.

Sequenti mane, cum major humorum ad caput congeſtio non immerito timeretur, totumque ſyſtema nerveum nimis mobile videretur, quam ut in genuos cantharidum ſtimulos ſine turba ferret, epiſpaſtica pedibus admota, ſimulque peruvianus cortex in ſubſtantia ad gr. XV. cum binis nitri granis datus eſt: quorum repetita aliquoties, interpoſitis temperantibus doſis, parum morbo profuit. Sub veſperam pedes quoque exanthematibus miliaribus obſidebantur. Inſequens nox inquieta quidem, non tamen omnino inſomnis fuit.

Poſtridie febris eadem, pulſus celer, frequens, plenus, exanthematum laetus flos. Urina modo hypoſtatica, modo citrina, pellucens, levique nubecula ſignata, excernebatur.

Sexta morbi dies inquieta quidem; ſymptomata tamen ratione habita morbi, levia fuerunt. Pulſus jam inaequalis erat, ſitis magna. Continuabatur in uſu medicamentorum jam memoratorum. Potus ex avena decorticata acidulata fuit.

Cum autem ſeptima morbi die ſine ulla manifeſta cauſa delirium rediret, & nox inſomnis omnino tracta fuiſſet: veſicatorium nuchae applicatum

eſt,

eſt, exhibitusque peruvianus cortex in decocto, cum amygdalis & ſeminibus frigidis emulſo.

Die octava febris mitior fuit, quoad effectus externos, pulſus tamen celer & frequens eſſe perrexit. Delirium remiſit, lucidaque intercurrerunt intervalla. Sitis major fuit, ob liberius caput. Urina hypoſtatica. Nox maximam partem placido ſomno tranſiit, uti & inſequens nona morbi dies. Alvus jam ſponte ſoluta eſt, mens ſerenior, ſitis eximia fuit; hinc inſignis avenacei aciduli potus ingeſta copia. Exanthemata miliaria ex voto habuerunt. Sub veſperam praecordiorum anxietas, colico dolore ſtipata, aegrum invaſit, cum pulſu parvo & celeri, quae tamen omnia injectum emolliens clysma brevi fugavit.

Decima morbi dies praeteritarum optima fuit; mens ſerena, ſine ulla vel hebetudine vel alienatione; exſiccatur ſenſim purpura, deſquamatur cutis; febris vix notabilis; pulſus & urina boni fuerunt: Hucusque tempeſtas humida, pluvioſa erat, ventus quotidie Zephyrus. Sub veſperam inquietudo rediit. Nox non inſomnis conſumta.

Dies undecima, quoad febrim ejusque ſymptomata bona fuit, pulſus moderatus, ſitis minor, appetitus ſenſim rediens.

Dies duodecima praecedenti ſimilis, quoad febrim

brim decreſcentem: alvus bis ſoluta. Purpura jam omnis evanuit, deceſſitque corpori cuticula.

Victus ſic quum putaretur periculoſus hoſtis, citra omnem opinionem, decima tertia die febris nova exarſit, urens: pulſus velox, debilis, inciduus, ſitis major, humorum ad deliria usque exaeſtuatio, hypochondriorum tenſio, inquietudo ſumma. Data jam eſt potiuncula temperans nitroſa adjectumque pedibus epispaſticum. Eadem die ingentem bilioſae materiae copiam per alvum bis ejecit, nocteque ſequenti, alvus ſexies ſoluta, incredibilem corruptae bilioſae ſaburrae exturbavit copiam, unde multo melius habuit, praeſertim cum reſtitans forte in inteſtinis acre, exhibito laxante evacuatum eſſet.

Decima quarta dies quoad febrim ejusque ſymptomata lucidior fuit, alvus bis aperta. Sub veſperam febris exacerbata fuit, unde nox inſomnis. Hinc, quum de haerente adhuc circa primas vias, bilioſa & acri ſaburra naſceretur ſuſpicio, enemate alvus elota & ſimul medicina aperiens antiphlogiſtica data eſt. Protracta haec ad octavum decimum usque diem: quo tempore lenta ut videbatur febre quotidie premebatur, cui eadem hac die tuſſis quoque acceſſit, dextrique hypochondrii dolor profundus, fixus, gravans, cum doloribus infimi ventris obtuſis: hinc abdomini toti, laterique affecto fomentum emolliens applicatum; quo facto, ingens iterum corruptae bilioſae materiae quantitas per alvum ſeceſſit, haecque excretio per triduum naturali auctior perrexit: donec

nec vigeſima prima morbi die, turbata alvus inſignem foetidi putridique puris, ſanguine atro corrupto mixti copiam cum notabili virium jactura ejiceret. Sequenti die vomuit quoque eandem materiam, putridam, purulentam, craſſamentis atri ſanguinis, graveolentibus, grumoſis, remixtam. Lotium jam redditum parcum, fuſcum & unctuoſum fuit. Febris eodem tenore perrexit. Vigeſima tertia die iterum inſignis materiae corruptae copià vomitu rejiciebatur, durante eadem hac excretione per alvum: dehinc tuſſi eandem materiam excrevit.

Vigeſima ſeptima die poſt tot laſcivientis morbi ludibria mortuus eſt, evacuata ad hunc usque diem incredibili materiae putris copia, per tuſſim, vomitum, alvum & urinas.

Nota. Per metaſtaſin, materiam hanc, ad nobile illud infimi ventris viſcus cholopoieticum delatam, in ſubſtrato caſu vix crediderim. Aliam potius hic latuiſſe morbi hujus atrocis ipſiusque mortis cauſam ſonticam, memoratae jam evincunt circumſtantiae, totusque morbi miliaris decurſus. En, quid cogitem! Adoleſcens hic aliquo abhinc tempore gravem fecerat ex alto lapſum, caput maxime laedentem. Hujusmodi capite vulneratis, poſt feliciſſimam quamvis ſanationem facile hepar vitiatur, & infarctus naſcuntur in imi ventris viſceribus, nulla arte saepe ſolubiles. Saepe abſceſſus. Diu hi in corpore latere

latere poſſunt, ſine vel minima notabili ſanitatis alteratione; donec tandem data occaſione irritati, ineluctabile adferant fatum. Legi merentur, quae viri in arte chirurgica celebres Galli, *Bertrandus* (vid. *Memoires de l'Acad. Roiale de Chir. à Paris vol. III.*) nec non cl. *Pouteau* circa haec ſcripſerunt. **S. Claudii Pouteau vermiſchte Schriften, von der Wundarztney-Künſt, aus dem Frantzöſiſchen überſetzt, von G. L. Rumpelt** p. 118. ſeq. Quibus conferri omnino meretur *Richardi Browne Cheſton, Pathological Inquiries and Obſervations in Surgery, Glo-ceſter 1766.* Sine ullo dubio hujusmodi quid in memorato jam caſu obtinuit.

Mantiſſae loco caſum hic ſubjungam, corticis in hoc morbo ſpecificam vim evidentiſſime monſtrantem.

Puer decennis febri hac purpurata ſcarlatina medio Martii corripiebatur, primisque morbi inſultibus laxans Rhabarbarinum oppoſuerat mater, unde aliquot ſedes. Febris jam prima die intenſa fuerat, ardens, ferocique delirio ſtipata, noctu inſigniter aucto. Urſerat ſimul faucium exquiſitiſſimus dolor, hinc inſomnis omnino tranſierat prima nox. Secunda morbi dies ſymptomata auxerat febrilia, anginoſa, acueratque delirium, quicquid ex antiphlogiſticis quoque exhiberetur. Tertia dies univerſum corpus, praeſertim faciem

&

& pectus ſcarlatino rubore, primum interpuncto, mox confluente notaverat; ſimulque notabilem brachiis, collo & pectori adſperſerat purpurae utriusque copiam. Vocatus ego, hypocauſti calores eximios minui, auram frigidiusculam admitti, ſtragulaque, quantum fieri licebat, levia eſſe juſſi. Veſicatorium dein amplum applicavi, ſimulque corticis decoctum ſaturatum cum ejusdem extracto maritatum, adjecto aliquantulo nitri, ſyrupo quodam, & pulpa tamarindorum, quantum ad gratiam requirebatur, exhibui. Vix octo forte uncias hauſerat obedientiſſimus praeceptis medicis puer, cum evaneſcere ſcarlatinum colorem, & cum illo duas certe tertias eruptorum exanthematum, laetus cernerem. Febris ſimul ad viſum decreſcere reliquaque morbi ſymptomata inſigniter minui coeperunt. Delirio non plane devicto, alterum oppoſui veſicatorium, quod mentis nonſolum alienationes, ſed faucium quoque dolores feliciter compeſcuit. Continuavi Corticis uſum adhuc per triduum, ſicque accedente ſimul ptyaliſmo largo, puer hic, ex omnibus, quotquot curae meae demandati fuerunt, aegris, citiſſime reſtitutus eſt.

Errata.

Pag. 4 lin. 29 lege ventilatorum
P. 16 l. 4 lege tum
P. 17 l. 18 diarrhoea
P. 18 l. 7 praecordiorum
- - l. 8 diarrhoea
- - l. 10 paroxysmi
P. 20 l. 15 deglutitionis
P. 23 l. 4 vix
- - l. 22 morbus
P. 24 l. 11 Quaeſt. Conu.
- - l. 15 Supra de compoſitorum
P. 25 l. 24 hominum
P. 26 l. 15 nutriebantur,
- - l. 16 Ringavienſi,
P. 31 l. 26 desquamatur
- - l. 9 vino gallico rubro, quod
P. 32 l. 4 cacoëthea
- - l. 8 diarrhoea
- - l. 21 Artur
P. 33 l. 19 pulverulenti;
P. 35 l. - penult. aperte
P. 38 l. 1 hunc, ſerum vel
P. 42 l. 5 desquamationem
P. 43 l. 15 ὀλέθριον
P. 47 l. 28 Heurn.
P. 48 l. 13 nocivum
P. 49 l. 7 Sphaera
P. 52 l. 3 venaeſectionis
- - l. 18 Ventilationum
P. 53 l. 2 quantitate
- - l. 22 re nata
P. 54 l. 23 veſicatoriorum
P. 56 l. 13 citatiorem
P. 58 l. 6 tamarindis
P. 59 l. 2 putredinem
- - l. vlt. obſervavit

P. 60 lin. 1 delicatiores
- - l. 3 epiſpaſtica
P. 62 l. 17 petechiali
- - l. 20 bilioſis
P. 63 l. 20 ſumendis
P. 64 l. ult. poſt *febribus* adde *malignis* *sl. Vogel. vid. Acta Acad. Elect. Mogunt. Tom. II.* a. 1761. p. 461
P. 78 l. 13 conculcatas
P. 79 l. 20 officinae
P. 90 l. 14 meticuloſi
- - l. 21 expergeſit
P. 91 l. 2 prophylacticum
P. 95 l. 27 2°.
P. 97 l. 1 deglutitionis
P. 98 l. 3 diluculum
- - l. 3 ab. ult. tumore
P. 101 l. 8 quod
P. 106 l. 6 feramus
P. 108 l. ult. aegrotae
P. 109 l. 15 infuſum
P. 112 l. 1 officioſa nimis (vt eſſe ſolent)
P. 115 l. 26 tamarindorum
P. 117 l. 18 horrorem
P. 123 l. 11 ingenuos

Qui in praefationem irrepſerunt errores, quorum Syllabus deficiente paginarum numero adiici non potuit, hos facile expunget. B. L.